



**Ad Hieronymi Zanchii sacramentarii virulenta convitia, quibus,  
ut ait, discessum ex hoc mundo meditatur,**

<https://hdl.handle.net/1874/423699>

3

Ad Hieronymi Zanchij  
SACRAMENTA-  
RII VIRVLENTA CONVITIA,  
QUIBUS, UT AIT, DISCESSVM  
*ex hoc mundo meditatur,*

*Vilhelmi Holderi responsio.*

HIERON: AD PAVLINVM.

Noli fidem pensare temporibus, nec idcirco meliorem me putes,  
quod prior in Christi exercitu cœperim militare.



TYBINGAE,  
Apud Georgium Gruppenbachium,

M. D. LXXXVII.

АЛЕКСАНДРЪ  
САРАМЪНЪ  
ИЛИ  
ИЛИ  
ИЛИ

ИЛИ

ИЛИ

ИЛИ



ИЛИ

ИЛИ

ИЛИ



MANOVAM, MI ZANCHI,

nihil admodum necesse erat, ad conuitia tua, vel (vt Hieronymi verbo utar) ad nantias illas tuas plus quam Hiberas, tibi respondere: ne tecum & ego delirare quibusdam viderer: tamen cum animad-

*Præfat. in Pentateuch:*

uerterem, te vel ante victoriam tuo tibi calculo triumphu decernere, dum scribis; te timere, ne ad rationes tuas peior sim, quam *καφὸν πρόσωπον*: agè, vt metum hunc tibi eximam, ad mutas illas rationes tuas breuiter & perspicue, Domino me benè iuuante, respondebo, vt scilicet quieti te deinceps tradere, & de felici ex hoc seculo discessu potius, quam de meis ineptis scriptiunculis (vt tibi appellare eas visum est) sollicitus esse possis.

*Fol. 10.*

Et initio quidem, licet pro modestia tua Sacramentaria me hominem facias extremè malum, atq; eiusmodi ingenio, vt quæ de me ferantur mala, per Christianam pietatem non facilè credere, nedum scribere ausis, (audacter enim si calumnieris, semper aliquid adhæret) Ego tamen vt re ipsa intelligas, quàm procul ab omni vindictæ cupiditate absim, duplici nomine te laudandum mihi existimo. Primò quidem, quòd statum causæ inter nos rectè formas, (quem alioqui Sacramentarij, cum ad rem respondere nequeunt, strenuè dissimulant) videlicet, me ex vnus loci sacræ scripturæ, non tantu varijs & diuersis, sed contrarijs & repugnantibus vestris explicationibus ostendere voluisse, quomodo scripturam tractent interpretes vestri, & quid de doctrina & scriptis vestris statuendum sit. Si igitur à te quædam extra rem admixta fortè sunt: ea, vt quæ ad præsens negotium nihil faciunt, ne frustra tempus teram, non attingam. Deinde verò, quòd verba tua commemorare voluisti ipse. Etenim si cum meis tua quis conferat, facilè deprehendet, nihil à me per calumniam tibi imputatum, cum nihil addiderim, neq; detraxerim quicquam verbis tuis, vt vel hoc vnicum me ab omni do-

*Fol. 13. fa. 2.  
Præfat.*



lo malo, lectori candido excusare possit. Sed rem ipsam videamus.

Zanch: fol: 14. Conquereris primùm me ordinem tuarum interpretationum inuertisse, & eam, quæ prima tibi fuerit, me fecisse quartam. Grande verò nefas & morte piandum. Et quare tu eius rei rationem quodammodò à me postulas, cum pro tuis jam ampliùs nò agnoscas, nisi tantum duas, num etiam alienum fundum arare, num in alienam messem falcem tuam mittere tibi pulchrum videtur? Deinde dic, quæso, nū istud in fraudem tuam à me admissum credis, ostende vel vnico verbulo insidiosè id à me factum, & viceris, nisi satisfecero. Verùm illud vt possis, tantum abest, vt meum ordinem præ tuo, sequendum tibi iudicaris, ex quo prudens lector facilè intelligit, quàm iustas queritandi causas habueris.

Zanch: fol: 14. Atquæ, ais, si ego id fecissem, tu procul dubio pro acumine tui ingenij, me hac etiam in parte Marcionem imitari voluisse, calumniatus fuisses, qui ex prima epistola, quæ est ad Romanos, fecit quartam, & ex quarta, quæ ad Galatas scripta est, fecit primam.

Verùm, mi Zanchi, quid si id non dixissem? præsertim cum tu paulò post quasi tui oblitus scribas, me fortassis illud de Marcione ignorasse, quomodo ergo dicere potuissem? Si itaq; negem, quo pacto id de me probabis? Ecce quantus sis philosophus, qui nescis, aduersarium nò leuibus quibusdam suspicionibus, sed verà, firmà, perspicuà, & necessarià consequentià convincendum esse. Laborat igitur illud argumentum tuum vomica ignorationis Elenchi penè incurabili, cuius te meritò pudere debuit, cum, qui triuiales frequentent, ista non ignorent.

Tertull: lib: 3. cum Marcione conferre tantoperè liberet, pateret mihi  
 contra Marcionem. campus amplissimus. Marcion, Christum veram carnem ex virgine assumis, ideò negauit, quòd virginem parere naturam non patiat. An non hoc ipsum hodie scribunt  
 Sacra-

Sacramentarij? Idem autor, per personæ fictionem Euxinum accusans inquit: Næ, tu Euxine, feram edidisti Philosophis quàm Christianis probabiliorem, ( Marcionem intelligit). Sed si dicere, quod res est, licet, an non Sacramentarij, feræ sunt, ita in Theologiâ tumultuantes, vt Philosophis quàm Christianis probabilior sit ipsorum doctrina. Murem ponticum appellat Marcionem Tertullianus, vt qui Euangelia corroserit. Sed quando tui scribunt, Lucam in describendis verbis institutionis manifestum solæcophanes admisisse, an non cum isto mure Pontico comparari posse putes? De Diogene, quem caniculam vocat, idem autor scribit, lucernam meridie circumtulisse, vt hominem inueniret: Marcionem autem extincto lumine fidei, Deum, quem inuenerat, amisisse. An non Sacramentarij Christum, quem in verbo inueniant, extincto lumine fidei, in Eucharistiâ amittunt? Irenæus scribit, & meminit etiã Nicephorus; Marcionem, quem Diaboli os appellat, docuisse: Cainum, Sodomitas, Aegyptios, & similes eis, & omnes omninò gentes, quæ in omni permixtione malignitatis ambulauerant, saluatas esse à Domino, & in eius regnum assumptas. Verùm, an non Sacramentarij quidam simile quid docent tùm alibi, tùm quando de amplitudine regni Christi philosophantur? Prætereo alia lubens, hoc tantùm addo. Eusebius scribit; Apellem, Marcionis (quem lupū Ponticū ille 13. appellat) discipulum, abstinentiâ & senectutis prærogatiuâ vsum, sparsisse errores suos. Tu verò quid aliud agis, cū errores tuos alio fuco pingere nequeas, per senectutis prærogatiuam excusare conaris, dum iniquum putas, te senem decrepitem, septuagenarium, rude donatum, & mortem meditantem, propter errores tuos reprehendi? Multùm dissimilis Bergomensis Hieronymus, Hieronymo Stridonensi, qui scribit: Noli frater charissime annum nos æstimare numero, nec canos sapientiam, sed sapientiam canos putes, Salomone testante: Cani hominis prudentia ejus.

“ Tertull: lib: 1.  
“ cont: Marcionem.

“ Liber 1. contra  
Marcionem.

“ Idem lib: 1. contra  
“ tra Marcionem.

“ Iren. lib. 1. ad  
“ uers. Her: Va.  
“ lent. cap. 29.  
“ Nicephor: lib:  
“ 4. cap. 28.

Euseb. lib. 5. cap.



Iam quale argumentum tuum ſit, cogita, & quàm turpiter hallucineris, dum me tacitè cum Marcione conferre miteris. Sic enim colligis.

Marcion perturbans ordinem Epistoliarum Pauli meritò reprehendendus eſt.

Ergo & Holderus inuertens ordinem interpretationum Zanchij, &c.

Reſpondeo breuiter: Nego conſequentiam, & ratio eſt, quia Zanchius non eſt Apoſtolus Paulus, nec Collectanea eius, ſiue Miſcellanea, Apoſtolica ſcripta aut epiſtola Paulinæ. Et ruruſ te eximiū Philoſophum ad triuiales mitto, vt regulam de paribus ex Dialecticis præceptionibus priùs diſcaſ, quàm adeò pueriliter ex loco parium argumenteris. Sic autem illa habet: De paribus et ſimilibus idem eſt iudicium, quando ratio eſt ſimilis. Hic verò ratio proruſ diſpar eſt. Apoſtoli enim & ſcriptorum eius autoritas in Eccleſia canonica eſt, & ſacroſancta: Zanchij verò, vt pote Sacramentarij, penitus nulla. Vides quanta ſit diſſimilitudo?

Et certè pia vetuſtas non hoc potiſſimùm nomine Marcionem deteſtata eſt, quòd ordinem, ſed quòd numerum epiſtolarū interpolariſ, vt Tertullianuſ loquitur. Quem-  
*Tertull. lib. 5. cont. Marcionem.* epiſtolarū interpolariſ, vt Tertullianuſ loquitur. Quem-  
*Niceph. lib. 4. cap. 28.* ,, madmodum enim ceteriſ repudiatiſ ſolius Luçæ Euan-  
*Irenæuſ libr. 1. adu. hæ. Val. cap. 29.* ,, gelium recepit, quòd tamè vt Irenæuſ inquit, ita circum-  
*Et lib. 3. cap. 11.* ,, cidit, vt non Euangelium, ſed particulam tantum Euan-  
*Niceph. lib. 4. cap. 28.* ,, gelij diſcipuliſ ſuiſ tradiderit, ſemetipſum veraciorem  
*Epiph. lib. 1. Tom. 3. hæreſi. 42.* ,, credens, quàm ſint hi, qui tradiderunt Euangelium Apo-  
*Hieron. Epi. ad Tit.* ,, ſtoli: Ita numerum epiſtolarum primò præcidit, dum ex  
 Pauliniſ decem, vt Epiphaniuſ ſcribit, vel, vt Nicephoruſ ait, tantum nouem recepit, repudiatiſ, vel vt Hieronymuſ inquit, diſſipatiſ, vtraq; ad Timoth. & ea, quæ ad Titum ſcripta eſt, & ad Hebræoſ, quamuiſ huiuſ poſtrema nec Tertullianuſ, nec Epiphaniuſ, neq; etiam Nicephoruſ meminereſ, cuiuſ rei cauſſam Rhenanuſ putat, quòd ea ætate

ea etate Paulo non fuerit tributa. Deinde verò eas, quas admisit epistolas, ita violauere Marcion, & socij (vti Hieronymus scribit) vt non Apostolorum Christi, sed suas proprias fecerint, dum eraserunt, quicquid dogmati suo contrarium viderant. Et Epiphanius quidem inquit, sese nihil neq; ex priori, neq; ex posteriori ad Thessalonicenses, sicut nec ex ea, quæ ad Philippenses scripta est, excerptisse, quæ illi scilicet corruerint. Attamen Tertullianus ait; Soli huic epistolæ (ad Philemonem) breuitas sua profuit, vt falsarias Marcionis manus euaderet. Hæc, mi Zanchi, erant illa, quæ in Marcione (articulos hæreseos eius excipio) vetustas desiderabat.

Hieron. in præfatio  
mio ad Paulam &  
Eustochium.

Epiph. lib. I. Tom.  
3. hæres. 42.

Tert. lib 5.

cont. Marcion

Istud verò quod subijcis, quale quæso est? Ego (inquis) humaniùs tecum agam. Et quæ est illa tua Sacramentaria humanitas, mi Zanchi? Malo enim (dicis) ex illa tua oscitantia, si non certò concludere, saltem probabiliter iudicare, te, cum illa scriberes, à cœna post multam ex vino exhilarationem, somno percitum inconsideratè scripsisse potiùs, quàm exemplo Marcionis, quod fortasse ignorabas, à te factum fuisse. Vide, mi lector humanitatem Sacramentariam. Sed audi tu, mi Zanchi, etsi libenter fateor, me plurima ignorare: tamen turgere pulmones Sacramentarios, quadam eruditionis persuasione, non ignoro. Et quid si illud de Marcione etiam non ignorarim? Ecce, vt videas me non planè imperitum, quod te fecisse, nisi ignorasses, oportuit; ecce, inquam, tibi autorem, qui istud de Marcione scriptum reliquit, ecce tibi librum, ecce paginam: Epiphanium videlicet lib. I. Tom. 3. Hæres. 42. pag. 137.

Zanch. fol. 14.

Valdè autem iniquum est, quòd tu, qui rei partes sustines, simul sententiam contra me pronuncias, me inconsideratè post nimiam ex vino exhilarationem, somno percitum scripsisse. Quis enim, quæso, mi Zanchi, nisi planè temerarius, iudicis munus sibi sumpsit, cum pars aliqua



aliqua cauſa ſit. Videt igitur prudens lector, me non ſine ratione à te incompetentem, ad legitimum iudicem prouocare. Interea annon tu potiùs iſthac poſt cœnam & multam ex vino exhilarationem, ſi non ſomno, irâ tamen percutis ſcripſeris, de eo alij iudicabunt. Iam, ſi potes, quid ego viciffim in te deſiderem, ex pluribus pauca accipe. Tu quidem ordinem non inuertiffi meum, ſed perrupiffi & dilaceraffi. Ego enim non tuas ſolùm inter ſefe rationes, ſed etiam cum reliquis contuli, & reliquas cum tuis, vt de orthodoxo conſenſu orthodoxorum iſtorum interpretum pio lectori cõſtaret. Tu verò cum videas illa conciliari ſibi inuicem non poſſe, partitus es Prodromum meum cum quodam homine tuo, portentose erudito: ita, vt tu tuos errores pingeres, ille reliquis colorem aliquem inueniret, ſed quod præcipuum erat, quomodo inuicem conſentirent iſtæ interpretationes, hic verò altum ſilentium. Et hoc quidem primum eſt.

Alterum: poſtquam partiti eſſetis operas, tamen cum ad octauam interpretationem ventum eſt, inquit Zanchi-  
*Zanch: fol: 19.* „ us meus: Quæ ſequuntur refutâda relinquo noſtro Bem-  
 „ lero, aduerſus quem æditus eſt Prodromus. Cum ad mi-  
*Beml: fol: 22.* „ ſellum illum accedo, reſpondet: Reliqua cum clariffi-  
 „ mum & grauiſſimum Theologum H. Zanchium petant,  
 „ nolo pluribus tecum agere. Viuit enim adhuc & valet Zanchius. Et hoc reſponſo me contentum eſſe neceſſe eſt.

Quibus accedit & illud, quod in ijs etiam interpretationibus, ad quas reſpondere videri viſ Zanchi, pleraſq; diſſimulas. Exempli gratia. Obieci quod Cinglius ſcripſit, Chriſtum tantum ſecundum diuinitatem nobis ſalutarem eſſe, an iſtam propoſitionem probes aut improbes, ſcire non poſſum, nam piſce magis mutus es. Sic ſcripſerat Zuinglius, ſolam diuinitatem, ſolam, inquam, illam adminiſtrare omnia, ſed ſicco pede, Zanchi, tranſis procul dubio, quia horum te pudet. Similiter quod calumniatus eſt Zuinglius, nos Saturno crudeliores, qui deuoremus Chriſtum

Christum regnantem, sed neq; ais, neq; negas, Zanchi. Præterea dixeram rationem diuersitatis nobis redderent Sacramentarij, quare Stephani oculis, Physicis illis oculis, sine verbo tribuerent aciem, qua per omnia obstacula, ad supremum vsq; cœlum penetrare potuerit, quod certè natura fieri non patitur; & impossibile existiment, corpus Christi in sacra cœna præsens esse posse, cum & expressum uerbum id doceat, & istud corpus filij Dei proprium corpus sit, in unitatem personæ ab ipso assumptum, quorum neutrum de Stephano dici possit. Sed citiùs clauam Herculi, quàm Zanchio responsionem extorqueas. Verùm de his hæcenus satis, nunc de interpretationibus Zanchianis agamus.

PRIMA ZANCHIANA DE VI-

SIONE PAULI INTERPRETATIO,

que in ordine quarta est.

**D**ixeram, Sacramentarios quosdam apparitionem Paulo factam tantùm de mentali uisione interpretari. Verba mea hæc erant: Confugiunt itaq; ad mentalem quam uocant, apparitionem. Et profectò, inquit quidam Sacramentarius, non absimile est uero non tam corporalem, quàm mentalem fuisse uisionem, cui & Zanchius suffragari uideretur. Neutro, inquit ille, Actorum loco legimus, Christum suo corpore apparuisse: sed duo tantùm audimus, primùm lucem quandam è cœlo Paulum circumfulsisse, deinde uocem à Paulo auditam esse, & potuit utrumq; fieri sine præsentia corporis Christi. Hæcenus mea uerba. Quid uerò ad ea Zanchius: cum intelligeret sese suis uerbis ex hoc ipso loco desumptis refutari posse, quibus dixerat: oportuit Christum uero suo corpore Paulo apparuisse &c. ideo nunc mentalem uisionem se unquam protulisse,



Zanch. fol. 3.

„ baſſe, negat. Agnoſco, inquit, verba mea, ſed ea non in  
 „ hunc finem adieci, vt ſententię de mentali viſione ſubſcri-  
 „ berem, ſed vt, quod de apparitione Chriſti, ſecundum  
 „ quorundam ſententiam, in creato & aſſumto nouo ad  
 „ tempus corpore, retuleram, illud aliquo modo, ab auto-  
 „ ribus illius tertię interpretationis, confirmari poſſe  
 „ oſtenderem. Ideo prudenter Holderus nõ dixit: Cui ſuf-  
 „ fragatur, ſed cui ſuffragari videtur Zanchius. Haſtenus  
 „ ille: Audis igitur lector candide, Zanchium nunc negare,  
 „ quod ante annos decem & amplius ſcripſerat. Verum  
 „ idem ei accidit, quod illi, qui fumum fugiens in ignem  
 „ incidit. Ego enim vt rebus Sacramentariorum deplora-  
 „ tis aliquo modo conſulerem, conciliare Zanchium cum  
 „ Thalmanno volui, vt minus eſſet inter ipſos diſſenſio-  
 „ num. Zanchius verò contendit, Sacramentarios multò  
 „ amplius diſſidere inuicem, quàm vel ego vel alius, etiam  
 „ me longè oculatior, videre poſſit. Et ita hoc ipſum con-  
 „ firmat, quod ego dixeram, & in eandem Scyllam quàm  
 „ tanto ſtudio declinare conatus eſt, incidit.

Deinde dic mihi, mi Zanchi, doctores tui Sacramen-  
 tarij anne adeò ſtupidi ſunt, vt ſcribant & doceant publi-  
 cè, quorum te, vtpote longè doctiorem, meritò pudeat,  
 quibus, vt ais, ſubſcribere nolis, id certè ego de viris adeò  
 doctis dicere non auſim, ſed cum vltro id profitearis, lau-  
 danda eſt tua ingennitas.

Præterea quid hoc eſt, mi Zanchi, quod ſcribis, te iſta  
 verba tua non in hunc finem adieciſſe, vt mentali viſioni  
 ſubſcriberes, ſed vt oſtenderes tertiam illam quorundam  
 interpretationem, de creato & aſſumto nouo corpore,  
 hac ratione confirmari poſſe. An non aliquoties dicis te  
 iſtam interpretationem non poſſe probare? An non fate-  
 ris illam cum expreſſá ſententiá ſacræ ſcripturæ pugnare?  
 An non dicis firmiſſimo argumento à te refutatam? An  
 non ſcribis duas tantum priores interpretationes de-  
 fendi

fendi posse, hanc vero tertiam minime? Et tamen te non pudet palam affirmare ad huius impie & cum sacris literis pugnantis interpretationis confirmationem, illam rationem & excogitatam à te & adiectam illi esse, annon hoc est fucum facere lectori? pingere aliquo colore manifestè falsam & impiam opinionem, & sub veri qualicumq; specie imperito lectori obtrudere? Hocne viri boni est? hocne Theologi? hocne senis decrepiti, qui septuagenario maior est? Sicne Zanchi, discessum ex hoc mundo meditaris? Sic miser Zanchius dum cineres vitat in prunas incidit.

Sed vt ad rem ipsam redeamus, si, mi Zanchi, istud tibi largiar, non ad mentalem visionem, seu primam illam interpretationem verba tua referenda esse, sed ad confirmationem tertiæ illius & ineptæ opinionis de nouo fictitio corpore Christi, tamen à dolo vel tu ipse me excusas. Ais enim; agnosco verba mea. Quomodo autè insidiosè agere voluisssem, qui verba tua candidè recitauit, vt, si affingere tibi aliquid præter meritum voluisssem, etiam mediocri iudicio præditus lector intelligere potuissset, me calumniôsè tua dicta interpretari?

Cui accedit & illud, quod dicis prudenter me scripsisse, “ non quod mentali visioni suffragari, sed quod suffragari videaris. Etsi autem, vt verum fatear, & tùm, cùm ista scriberem, & etiamnum hodie nihil dubitem, te hoc profusus, quod dixi, voluisse, vtcunq; te jam eius pudeat, tamen benè cecidit vtrumq; & quod his potissimùm verbis vsus sum, & quòd tu ipse ita me excusandum credis.

Vtcunq; verò isthæc habeant, certè Thalmanni verba adeò sunt perspicua, vt tergiuersari in ijs non possis, id solum mihi sufficit. Neq; enim personas cù personis, sed res cum rebus, hoc est, varias vestras & repugnantes interpretationes conferre volui. De statu igitur nihil penitus decedit, nimirum esse quosdam inter sacramentarios, qui visionem Paulo oblatam de mentis tantum visione interpretantur.



Attamen vt videas, mendacium difficulter tegi posse, expende mecum, mi Zanchi, quæ scripseras. Dixeras prior loco, non legi in Actis, Christum suo corpore apparuisse Paulo, & repetis illud: Sic describi apparitionem illam, vt sine præsentia corporis Christi fieri potuerit: In posteriori autem loco scribis, illa à te adiecta ad confirmandam eorum opinionem, qui Christum in assumpto nouo creato corpore apparuisse Paulo dicerent. Atqui, mi Zanchi, quomodo ista sibi conueniunt? In Actis non legitur, Christum suo corpore apparuisse, sed tantum lucem quandam circumfulsisse Paulum, & vocem Christi ab ipso auditam. Ergo Christus apparuit Paulo, assumpto nouo corpore. Vides ne quàm non quadrent ista, & mendaciū semper sese prodere, vtcunq; palliare coneris? Sed accedamus ad secundam interpretationem.

**SECUNDA ZANCHIANA DE**  
**VISIONE OBLATA PAULO**  
*interpretatio.*

Zanch. fol. 1.



Secunda Zanchij interpretatio fuit: Christum in cælo manentem potuisse Paulo apparere, potuisse enim illius oculos perinde atq; Stephani, videndi acutissima acie atq; facultate donari per omnia obstacula ad ipsos vsq; cælos penetrandi. Respondi ego, me istam interpretationem probare non posse, 1. quòd à posse ad esse non sit necessaria consequentia, atq; hinc apparere, etiam ipsum Zanchium huic interpretationi non multum tribuere. 2. quòd neq; scripturæ neq; vetustatis autoritate cõfirmetur. Ad ista responder doctissimus Zanchius tali argumento.

Zanch. fol. 3.

Quicumq; meam argumentationem improbat, est imperitus Asinus.  
 Holderus eam improbat. Ergo. Robu-

Robustum sanè & giganteum Zanchianum argumen-  
tum. Habent Dialectici non vnam rationem dissoluendi  
argumenta, sed eiusmodi ab illis traditam non memini,  
nam planè noua est. Verùm cogitare debuit Zanchius, me,  
si uelim, eodem artificio uti posse in dissoluendo ipsius ar-  
gumento, uidelicet: Quicumq; ad argumenta opposita re-  
spondere nõ potest, nisi per conuitia, is est imperitus as-  
inus. Id ipsum autem facit Zanchius. Ergo. Nolo autem  
vices ei reddere; satis mihi fuerit ostendere, quantus Phi-  
losophus atq; Theologus ille sit. Atqui (inquis) negasne  
tu id fieri potuisse, ut Christus in cælo manens Paulo ta-  
men apparuerit. Minimè nego; neq; enim Sacramenta-  
rius sum, qui omnipotentia Dei certos terminos consti-  
tuam. Sed quod tu de me scripsisti, me non benè esse in  
Dialecticis institutum; ego uideo, te non benè institutum  
in Rhetoricis. Versamur enim in statu cõiecturali, an Ste-  
phano (ab eius enim exemplo argumentaris) donata fue-  
rit acies supernaturalis, ut corporeis oculis per omnia ob-  
stacula ad supremum vsq; cælum penetrare potuerit? Eius  
duo sunt loci (sumam enim mihi istum laborem, ut te ru-  
diorem erudiam) uoluntatis & facultatis. Id cum tu igno-  
reres, ex altero solum & facultatis loco tantum concludis,  
& sic doces, te etiam in Dialecticis non benè institutum.  
Ignoras enim undecimam regulam de bona cõsequentia,  
quæ sic sonat: Ex non sufficienti enumeratione partium,  
non ualet argumentum. Ecce quantus sis Philosophus:  
quanta tua eruditio.

Iam tuo quoq; argumento te conuincam, non rectè di-  
ci posse, Paulum eiusmodi acie donatum fuisse: tu atten-  
de.

Quod neq; Physicè neq; Theologicè dici potest, id  
non rectè dicitur. Idem in Paulum, in quo  
Paulum supernaturali acie oculorum donatum, neq;  
Physicè neq; Theologicè dici potest. Ergo.



Maior tua est, pag. 16. tuæ responsionis. Probo itaq; Minorem. Non physicè id dici posse, facile, credo, dabis. Ais enim ipse id supernaturaliter fieri. Neq; Theologicè dici potest, quia sacra scriptura neq; proloquio aliquo, neq; vilo exemplo id docet. Agnoscisne tua verba Zanchi? Proloquium nullum adferre potes ex vniuersa scriptura, exemplum autem Stephani huc non pertinere deinceps sine labore ostendam. Videsne me iuuenem quidem Theologum, non planè esse imperitum asinum, qui tuis armis pugnare didici?

## DE ACIE OCULORVM

Stephani.



Riùs autem quàm rationes tuas examinemus Zanchi, placet tuum illustrem illum triumphum, quem de me misero agis, videre. Postquam enim tibi probasse videris, quæ de nouâ oculorum Stephani acie stolidè affirmâras,

Zanch. fol. 8. „ mox in hæc triumphalia erumpis verba: Viden igitur  
 „ Domine Diacone, quàm imprudenter & pueriliter exclamâris; O acutissimos homines, ô acutissimam rationem  
 „ soluendi argumenta, ô aciem videndi ea, quæ hæctenus  
 „ præter Zanchium nemo vidit. Sed profectò Domine  
 „ reuerende, nondum tamen reuerendissime, tu, vt video  
 „ pauca vidisti, proinde diligentior in bonis autoribus legendis, quàm in crebris magnisq; exclamationibus edendis, vt oportet, sic etiam, rogo, fies. Hæctenus ille. Est  
 „ ne quid amplius, quod me scire volebas Zanchi? Et quæso  
 „ ego te, mi homo, quomodo isthæc atatem tuam decent?  
 „ Si ego sic luderem, scurra tibi essem. Ego verò tantum  
 „ illud

illud Chrysoftomi tibi in mentem reuoco: Canices tunc <sup>Chrysof. Hom.</sup> est venerabilis (inquit ille) quando egerit, quæ canici- <sup>7. ad Heb.</sup> em decent. Cum verò iuueniliter conuersatur, plus ipsis iuuenibus ridiculosus erit. Intellexisti mi Zanchi?

Simul autem me tui miseret, agnosco enim in te illud Hieronymi: Quæ autem putantur senectutis mala, ista <sup>Præf. ad Pam.</sup> sunt, ait, crebræ infirmitates, pituita molestissima, oculi <sup>lib. 2. Tom. in</sup> caligantes &c. <sup>Proph. Amos.</sup> Neq; enim de Stephano, sed de Apostolo Paulo locutus sum. Etenim non de Stephano, nisi incidenter, sed de Paulo inter nos controuertitur. Videantur verba mea pag. 17. Prodromi; videantur etiam tua verba fol. 2. fac. b. tuæ Responsionis; vbi expressè fateris, ista à me de Paulo dicta esse, non Stephano. Quare igitur nunc euagaris extra oleas? Et vt videas, quanta tua sit eruditio: ecce tibi Syllogismum tuum:

Quicumq; negat Stephanum corporeis oculis Christum in supremo cælo vidisse, is imprudenter & pueriliter exclamat.

Holderus negat Paulum vidisse Christum in supremo cælo oculis corporeis. Ergo.

Sed quæso numera, si potes, quot sint huius Syllogismi termini, aut si id non possis, in exemplo hoc videbis. Perinde enim argumentaris, atq; si dicam: Omni scurræ licet conuitiari. Zanchius est doctissimus Philosophus atq; Theologus. Ergo licet ei conuitiari. Videtne nullam hic esse connexionem, nullam consequentiam? Sunt enim in hoc Syllogismo quatuor termini: Ita etiam in tuo. Redeundum tibi itaq; est ad erotemata Dialectices, vbi secunda regula Syllogismorum sic habet: In syllo-



ſyllogiſmo non ſint plures aut pauciores termini, quàm tres.

Interea cogita, quàm imprudenter feceris, quòd me imperitum aſinum dixeris. Eſto enim. Atqui cum te à me diſcere neceſſe ſit, quæ erit tua conditio, qui etiam imperito aſino es imperitior?

Deinde dum hac reſponſione tua, rationes demum adfers, quibus confirmare niteris, quæ de Stephano ſcripſeras ante annos plurimos, an non fateris, te ſuſſiſſe tum, pro confeſſo, quod erat in controuerſa, an ſcilicet Stephanus corporeis oculis noua & ſingulari acie donatis, Chriſtum in ſupremo cælo viderit? Atqui hæc erat petitio principij, de qua ego dixeram, tanto Philoſopho proſus indigna. Nihil enim expeditius habent eiufmodi reſponſiones, atq; Thaletis Mileſij; qui cum dixiſſet, inter vitam & mortem nihil intereſſe, & quidam queſuiſſet; quare ergo non moreris? quia, inquit, inter vitam & mortem nihil intereſt. Memineris igitur poſthac, mi Zanchi, regulæ, à Cicerone traditæ, qua inquit: Illa conſuſio rationis probanda eſt, in qua ex rebus non dubijs, id quod dubiatur, efficitur.

### Ratio j. Zanchiana.

Zanch. fol. 4. **Q**uanta ſit vis fidei (inquit Zanchius) etiam in rebus ſi hoc poſſunt (montes transferre) qui fide præditi ſunt, cur non & Stephanus, qui plenus erat fide? Argumentum autem tuum tale eſt: Si, qui fide præditi ſunt, poſſunt transferre montes, vt Chriſtus & Paulus loquuntur, poſſunt etiam oculis corporis vſq; ad locum illum, vbi corpore ſuo eſt Chriſtus, per apertos cælos penetrare. At Stephanus plenus fide & potentia edendi miracula potuit montes transferre. Ergo &c.

Captioſe

Captiosè agis Zanchi, ludis enim fallaciâ æquouocati-  
onis. Nam maior loquitur de fide piorum, qua iusti re-  
putantur coram Deo, & ita nego maiorem. Neq; enim  
quicquam huc pertinet eorum, quæ Christus & Paulus de  
fide, dictis locis scripserunt. Minor autem loquitur de fide  
miraculorum, & ita ambiguitas illa parit quatuor termi-  
nos, & turbatur tota connexio. Ecce quantus sis Philoso-  
phus.

Iam etiam apparet hinc, quantus Theologus sis. Quan-  
ta (ais) vis fidei sit in rebus etiam externis, docuit Chri-  
stus & Apostolus. I. Cor. 13. Atqui, mi Zanchi, illi non  
simpliciter de fide propriè accepta loquuntur, sed in spe-  
cie, de signorum fide. Addit enim Apostolus: Et charita-  
tem non habeam. Quomodo autem fidem dixeris, quæ  
est sine charitate, cum illa hac non magis carere possit, si  
vera & uiua sit, quam sol luce sua aut calore? Quod itaque  
secundum quid ab illis dictum est, tu per incitiam simpli-  
citer accipis. Audi, mi Zanchi, piam vetustatem, vt hoc  
errore libereris. Chrysostomus ait: Fidem non eam dico, "*Chryso. I. Cor.*  
quæ est dogmatum, sed signorum de qua Christus: si ha- "*12.*  
bueritis fidem, sicut granum &c. Vbi etiam hanc specia- "*11.*  
lem fidem matrem signorum appellat. Similiter Hierony- "*Hieron. I. Cor.*  
mus: Fides hæc prodigia faciendi est, vt montes transfe- "*12.*  
rant. Athanasius: Non dogmatum, sed signorum fides est, "*Athanas. I. Cor.*  
quæ etiam montes traducendi vim habet. Vides igitur "*12.*  
translationem non tribui omnibus, qui fide præditi sunt,  
sed ijs qui miraculosam fidem habent.

Intelligisne autem jam, mi Zanchi, quid faciendum ti-  
bi sit? Istud nimirum, dices, si sapias, te etiam in maiori,  
de fide signorū loqui, vix enim vlla faciliore ratione eua-  
des. Verum illud si dixeris, maioribus penè difficultati-  
bus te inuolues. Nam à minori ad maius per comparatio-  
nem argumentatus es: Si hoc possunt quicumq; fide præ-  
diti sunt, quantò magis Stephanus, qui & fide plenus &  
potentiâ edendi miracula erat. Ostendendum igitur prius



fuerat, fidei ſignorum, eſſe ſuos quosdam gradus, quod cum neglexeris, petitione principij contra regulas Dialectices peccaſti. O acutum Philoſophum.

Deinde eſto: intellexeris in Maiore fidem ſignorum, ane ignoras, ambigua eſſe diſtinguenda. Fidei enim in ſcriptura triplex eſt ratio, quod ex Muſculo tuo te diſcere oportuit: Alia fides hiſtorica eſt, alia ſignorum, alia fides iuſtificans. Non igitur dicendum erat vniuerſaliter: Quicumq; fide præditi ſunt, ſed quicumq; fide miraculorum ſunt præditi, quod cum tu aut ignoras aut negligis, pueris ridiculus es, qui tertiam regulam Syllogiſmorum tibi occinent: Cauendum eſt in omni Syllogiſmo, ne ſit ambiguitas in terminis, quia ambiguitas illa parit quatuor terminos. O Dialecticum egregium. Ego utiq; homo, ut ſcribis, non ſimpliciter indoctus, cogor te inſtituere, quotupliciter igitur tu indoctus eris, mi Zanchi?

Prætereà duplici adhuc errore, eoq; grauiſſimo, tuum argumentum laborat. Prior hic eſt, quod tu homo alioqui Sacramentarius & extropis & figuris totus conflatus, id quod à Chriſto & Apoſtolo de arbore & monte dicitur, propriè & ſecundum literam accipis. Inſpexiſſes ſaltem mi Zanchi, Cinglium. Montes transferre (inquit ille) Hyperbole eſt. Et ruruſus: Sermo eſt hyperbolicus, per montem enim ardua quæque intelligit, quaſi dicat, nulla eſt res tam diſſicilis, quam (ſi verè credatis) effice-  
re non poſſitis. Sic Germanicè dicunt (ait ille) de re ar-  
dua & diſſicili: *Es ligt mir ein ſchwerer Berg auff dem Hals*: Atlas incum bit meis humeris. Et alibi: Neq; hic docet Chriſtus montes transferre, ſed certitudinem fidei tradit. Qui enim Domino certa & indubitata fide adherent, etiam quæ carni impoſſibilia ſunt, poſſunt. Conſuluiſſes etiam Caluinum: Certum eſt (inquit ille) eſſe hyperbolicam loquendi formam, cum fide pronunciat transferri arbores ac montes. Summa tamen huc redit, Deum nunquam nobis deſore, modò ianuam aperiamus gratiæ

Matth. 17.

Marc. 11.

Matth. 21.

gratię eius. Ceteros prætereo: ex his tu videris, quomodo conciliare tua cum illorum velis, ego etiam vetustatis testimonio te conuincam.

Etsi enim nonnulli ex ipsis arbores & montes ab Apostolis translatos opinantur, quando cum gentilibus illis negotium est, qui neminem Apostolorum credidisse dicebant, quia nemo eorū arborem aut montem transtulisse legeretur, vt Theophilaetus in primis & Hieronymus: At tamē non ceteri solum magno numero, sed hi ipsi tum alibi in suis scriptis, tum his ipsis locis aliter etiam interpretati sunt. Sic Hieronymus: Latrant contra nos gentiliū canes in suis voluminibus, quæ in impietatis propriæ memoriam reliquerunt: Apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint. Quibus nos respondimus, primò, multa facta esse signa à Domino iuxta Ioannis Euangelistæ testimoniū, quę si scripta essent, mundus capere non posset; non quod mundus volumina capere non posset, quæ potest quamuis multiplicia sint, vnū armariolum vel vnum capere scrinium, sed quod magnitudinem signorum præ miraculis & incredulitate ferre non possit. Igitur & hæc fecisse credimus Apostolos, sed ideo scripta non esse, ne infidelibus contradicendi maior daretur occasio. Et addit ille: Hoc aduersum illos. Cæterum nos (inquit) vt antè diximus, montem, Diabolū intelligamus, superbientem & iactantem se contra creaturam suam, qui à propheta mons corruptus appellatur. Et Theophilaetus: Vbi autem Apostoli montes transtulerunt (inquit) nusquam quidem scriptum est; veruntamen verisimile est, quod transtulerint, etsi non scriptum sit. Non enim omnia scripta sunt. Sed mox addit: Vel aliter (inquit) non exigebat tempus, ideo non transtulerunt. In primis verò admodum perspicuè Ambrosius & Hieronymus. Ille enim scribit: Arborem lego (transplantandam) non tamen arborem credo. Nam quæ ratio aut quis profectus hic noster, vt arbor quæ laborantibus agricolis fructus ferat, eradicetur, & mittatur in mare. Hic verò

Hieron. lib. 3.

Com. in Matth.

Theoph in Mat.  
cap. 17.

Lib. 8. Com. in  
Luc.



Lib. 3. Com. in  
Matth. 5.

ait: Montis translatio non significatur eius, quem oculis carnis aspiciamus, sed illius, qui à Deo translatus erat ex Lunatico. Et addit: Neq; enim tantum prodest motus de alio in alium locum translatio, quantam in utilitatem omnium iste mons (Diabolus) transferendus est. Hinc aliqui de

Cap. II. in Marc.  
Lib. 2. Quest.  
Evang. cap. 39.

Christo montem illum interpretati sunt; ut Hieronymus. Nonnulli de prædicatione Evangelij, ut Augustinus qui scribit: Evangelium crucis transplantandum esse de perfidia Iudæorum, & in mare gentium transferendum. Cui

In Marc. cap. II.

etiam accedit Hieronymus: Hoc factum est (inquit) quando Apostoli dixerunt: dignè transferimur ad gentes. Alij

Theophilactus  
cap. II. in Marc.  
cum.

de superbiâ, ut Theophilactus, qui ait: Huic monti (superbiæ) dicendum: mittaris in mare, id est, in mundanos homines. In quam sententiam etiam Augustinus inclinat.

Quest. Evang.  
lib. I. cap. 29.

Præter Hieronymum verò, cuius antea memini, Theophilactus & Ambrosius, sicut & alij nonnulli de Diabolo interpretati sunt. Hæc obiter dicere volui, tum ut respon-

In Marc. cap. II.

derem tibi, tum ut vetustatis admiratores, quidnam interpretationibus ipsius tribuendum sit, tanquam in speculo viderent. Quæ cum ita sint, & figuratè dicta ad literam accipias, ad Scholas tibi redeundum erit, ut discas regulas bonæ cōsequentia, in quibus hæc tertia est in ordine, qua pueri dicunt: Non valet consequentia mutato genere prædicationis. Videtne Zanchi, quanta me affeceris injuriâ, quod me hominem dixisti extremè malum, præceptorem tuum, qui tanta fide, labore, & diligentia te in bonis artibus instruo.

Posterior verò, quòd ita concludis: Stephanus potuit montes transferre. Ergo etiam sui corporis oculis ad summum vsq; cælum penetrare. Ponamus enim secundum literam illa intelligenda esse, tamen nulla est ratio aut necessitas huius consequentia: Stephanus multa edidit miracula, ita ut etiam montes transferret. Ergo necessario statuendum est, factum etiam in ipsius oculis miraculum, quo noua & insolita acie donatus, vsque ad supremum cælum

lum potuerint penetrare. Nam & antea habuit illam potentiam. Ergo & antea vidit cœlos apertos & Christum suo corpore. Apostoli etiam fide signorum præditi fuerunt. Ergo oculis corporis vsque ad summum cœlum penetrare potuerunt. Quare ergo reprehenduntur ab ægelis dicentibus: Viri Galilei quid statis aspicientes in cœlum? Fide miraculorum etiam Iudas & alij claruerunt. Matth. 7. & 24. Multi dicent mihi: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Ergo & Iudæ oculi, & impiorum, noua & in solita acie donati fuerunt, vt maiestatem Dei, & Christum in carne in supremo cœlo viderint, de quibus tamen Christus ait: Non noui vos, discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Ecce quæ tua Théologia sit, quanta eruditio?

Iam, vt remediũ huic errori adhibeam; docebo te, vnde oriatur. Zanchij philosophia tanta est & ad eò acuta, vt non eò possit penetrare, quò pueri in Scholis. Ignorat enim, quando indefinita propositio vniuersali vel particulari æquipolleat: Stephanus, ait Zanchius, fuit præditus potentia edendi miracula. Ergo potuit etiam oculis sui corporis ad cœlum summum vsque penetrare. Antecedens est indefinitum, (quia subiecto neque vniuersale, neque particulare signum additum est) id ille accipit vniuersaliter. Et quidem indefinitæ interdum significant vniuersaliter, si scilicet subiectum speciem significat, vt si dicam: Asinus est animal: vbi subiectum, asinus, est species, ideo accipitur vniuersaliter. Nam omnis asinus est animal. Sed interdum subiectum significat particulariter, vt in materia contingenti, & tum æquipollet particulari, vt si dicam: Scientia inflat, non est vniuersaliter verum. Nam Zanchius, etsi scientiæ plusculum habet, quis tamen dixerit illum inflatum, nisi indignationem eius incurrere velit? Vera tamen est propositio in materia contingenti. Plarunque enim contingit, vt qui scientiæ sibiipsis ali-



quid tribuant, etiam pluſculum inflentur. Ita etiam hoc loco particulariter ſignificat: plerumq; enim ita contingit, vt ederent miracula, interdum verò vt non ederent, nec etiam poſſent, ſicut in lunatico Marc. ii. accidit. Quæcum ita ſe habeat apparet Philoſophum meum ex puris particularibus argumentatum, de qua connexionẽ pueri norunt regulam: Ex puris particularibus nihil ſequitur. Et hæc, mi Zanchi, de prima tua ratione, cuius tanta eſt inſcitia, vt vix tot ſint eius verba, quot vitia.

### II. Ratio Zanchiana.

Zanch. fol. 4. » **C**Hriſtus inquit; quicquid precando petieritis, ſi cre-  
 » didideritis, accipietis. Quis verò neget Stephanum in  
 » illo præſertim agone mortis, faciem hominis Chriſti ocu-  
 » lis corporis videre concupiuiſſe, quod pium ardensq; de-  
 » ſiderium quid aliud fuit, quàm vera precatio? Ergo. Ha-  
 » ætenus argumentum Zanchij. Reſpondeo: Quid ſi ego ne-  
 » gem, quod tu ſumis, quomodo iſtud votum Stephani ex  
 » ſcriptura probabis? Rurſus ergo dupliciter impingis, pri-  
 » mò petitione principij. Pro confeſſo enim accipis, quod  
 » ego veriſimilius nego, quàm tu ſumas, vt iam oſtendam.  
 » Deinde ignoratione Elenchi. Præter inanem enim conie-  
 » cturam nihil adfers, & illa ſola putas te conuincere poſſe  
 » aduerſarium. Quæſo autem te, ſi diſputare porrò volueris,  
 » relegas prius præceptiones dialecticas, ne à pueris toties  
 » ridearis. Quid enim mi Zanchi, ſi Stephanus id non con-  
 » cupiuit, qui forte Chriſtū ſæpius in carne vidit, præſertim  
 » cum nonnulli affirmant, fuiſſe illum ex numero 70. diſci-  
 » pulorū, inter quos eſt Hieronymus & Dorotheus, vt refe-  
 » runt Bergomensis & Petrus de Natalib. Quid ſi non con-  
 » cupiuit, vt qui in agone mortis cõſtitutus, ſciret ſe iam iam  
 » ad ipſum Chriſtū colligendū in cœleſtem gloriam. Quid  
 » ſi cogitauit illud Chriſti: Multi prophætæ & reges volue-  
 » runt videre, quæ vos videtis & non viderunt, quid ergo  
 » ego iſtud petere auſim? Quid ſi illi in mentem venit, quod  
 » Chriſtus

Hieron. ad Da-  
 uſ.

LUC. 10.

Christus Thomæ dixerat: Beati qui non viderunt & crediderunt. Vides igitur & plures & probabiliores, si coniecturis agendū esset, in contrariū rationes esse mihi, quàm tibi in illo tuo somnio. Imò oppono tale argumentum ex tua hypothesi ad absurdū ducens: Dominus voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorū exaudiet. At multi reges & prophete petierunt Christū videre in carne. Ergo nouo & insolito miraculo se illis omnib. & singulis videndum præbuit. Vides, quanta sit vis tui Elenchi?

Sed vt propius te vrgeam, video tibi deesse sensum & memoriam, & verè de te dici posse, quod Chrysoſtomus scribit: Ipsa senectus morbus est, inest tamen illi præterea segnities quædam ac tarditas obliuioq; profunda, & obtusio sensuum. Dum enim Minorem argumenti tui formas, eorum quæ in Maiori modò dixeras, penitus oblitus es, vt non rectè subsumere possis. Maior enim tua est: Quicumque precando petieritis, si credideritis, si (inquit Saluator) credideritis, accipietis. Iam subsumentum erat: At Stephanus plenus fide, credidit oculos donandos noua & singulari acie, qua per omnia obstacula &c. & ex fide precatus est. Ergo. Sed illud de fide per sensuum & memoriæ imbecillitatem tibi excidit, nisi quis dicat factum esse malitiosè. Igitur non rectè subsumis. Si autem debita forma ponas argumentum tuum, negabo Minorem. Fides enim requirit verbum, nam cum sit in prædicamento relationis, habet verbum correlatiuum, & fundamentum. Ex verbo enim oritur fides, sed cum tu verbum, & promissionem eiusmodi specialem proferre non possis, quomodo fidem Stephani probabis? Fidem enim sine verbo fingere, non minùs absurdum est, quàm patrem dicere, qui filiū non habet, nec vnquam habuit, aut emptorem fingere, cui venditor desit. Et hoc errore liberasset te Calvinus, si tam frequens in scriptorum eius lectione esses, quàm es in conuitijs, qui ait: Facilis responsio est, Christum non laxare habenas hominum votis,

1047. 20.

Cal. Hartho

Euang.



„ votis, vt pro arbitrio quodlibet appetat, dum preces sub-  
 „ jicit regulis fidei. Sic enim neceſſe eſt, vt Spiritus San-  
 „ ctus noſtros affectus, verbo Dei frenatos in obſequium  
 „ cogat. Certam & indubitatam exorandi fiduciam Chri-  
 „ ſtus requirit, vnde porro mens humana eam concipiet, ni-  
 „ ſi ex verbo Dei? Videmus ergo, Chriſtum diſcipulis nihil  
 „ promittere, niſi ſe intra metas diuini beneplaciti contine-  
 „ ant. Et hæc etiam de ſecundâ tuâ ratione, vt intelligas me  
 „ non eſſe prorfus *καθὸν πρόσωπον*.

### III. Ratio Zanchiana.

A. 6. „ **Q** Vi erant in concilio (inquit Zanchius) intentis in  
 Zanch. fol. 4. „ Stephanum oculis, viderunt faciem eius, tanquam  
 faciem angeli. Reſponſio: Quid tûm poſtea? Iacob vidit fa-  
 ciem fratris Eſau, nõ tanquam angeli, ſed ſicut Dei faciem.  
 Ergo nõ Eſau oculos habuit nouâ & inſolitâ acie & effica-  
 citate donatos, quibus ad ſupremum vsque cœlum pene-  
 trauit? Quam quæſo abſurda illa ſunt? quomodo ita de-  
 ſipis?

Atqui, inquis, propter immenſum & diuinum ſplen-  
 dorem, qui in tota eius facie ſplendebat, viſa eſt facies  
 eius tanquam facies angeli. Reſponſio: Iſtud tuû comen-  
 tum eſt, tuum ſomnium, nihil horum dicit Euangelista. Eâ-  
 dem igitur facilitate iſthæc tua additio à nobis reiſcitur,  
 quâ à te introducitur. Et tuorum etiam Sacramentario-  
 rum calculis condemnaris. Nam de iſta angeli facie Bul-  
 „ lingerus ait: Relucet in ipſo vultu mentis innocentia.  
 „ Verè enim dicunt vultum eſſe animi ſpeculum. Gualterus  
 „ inquit: Animi intrepidi & læta in Chriſto mentis indici-  
 „ um, in illius vultu refulſiſſe. Arétius ſcribit: Non commo-  
 „ uebatur calumnijs, nõ variabatur rubore aut pallore vul-  
 „ tus. Conſtantię autem argumentum eſt, non perturbari.  
 Sic illi.

Sed ponamus ſplenduiſſe faciem eius, quod etiam tui  
 quidam innuere videntur, tamen nulla eſt ratio conſe-  
 quentiz

quentia; si dicas; Facies Stephani splenduit. Ergo oculis corporis in supremo cœlo, in carne Christum vidit. Nam apud Ezechielem splendet terra à maiestate gloriæ Dei Israël. Ergo terra noua acie donata, penetrat vsq; ad cœlum summum. Apud Marcum splendent vestimenta Christi. Ergo noua quadam efficacitate diuini luminis donata sunt etiam ipsa vestimenta. Et ne tergiuerferis, aliud esse de terra & vestimentis loqui, quibus non sunt oculi, & aliud de hominibus; agè Act. 26. dicit Paulus: Lux supra solis splendorem circumfulsit me: Sed tantum abest, vt noua & insolita acie oculi eius donati ideo fuerint, vt scriptum sit: Eterat tribus diebus non videns, Act. 9. Struis itaq; insidias veritati, siue ex inscitia id fiat, siue ex malitia, dum captiosè à non causâ vt causâ argumentaris. Vtinam oculi tui maiori diuini luminis efficacitate donentur.

Ezech. 43.

Marc. 9.

### III. Ratio Zanchiana.

Cum Lucas scribat (ait Zanchius) Stephanum plenum fuisse Spiritu sancto, extra controuersiam causam adfert, quâ factum fuerit, vt Stephanus viderit gloriam Dei & cœlos apertos, nimirum, quia Spiritus sanctus, quo plenus erat, effecit efficacitate sua, vt Stephanus & verè viderit cœlos apertos, & super illos in vltimo cœlo gloriam Dei. Acute sanè, si sophisticari & argumentari pro vno & eodem sumas. Rursus enim fallaciâ secundum non causam vt causam imponere lectori conaris. Si enim hæc vera causa est, Actorum 2. legitur de Apostolis: Repleti sunt omnes Spiritu Sancto; Ergo omnes corporis oculis cœlos apertos & in vltimo cœlo corpus Christi viderunt. Stephanus iam dudum plenus fuit Spiritu Sancto. Ergo iam dudum & fortè ante aliquot annos vidit apertos cœlos, & Christum in vltimo cœlo suo corpore. Collegæ Stephani pleni fuerunt Spiritu Sancto. Ergo omnes collegæ Stephani vident cœlos apertos, & corpus Christi in vltimo cœlo.

" Zanch. fol. 40  
" fa. 2.

Acto. 2.

Acto. 6.

Acto. 6.

D

Vide



Vide, mi Zanchi, quàm ſis inſulſus, quàm inſpidus cum  
 tuis argumentationibus. Conſuluiſſes tuos, hoc eſt, Sa-  
 cramentarios interpretes, nec adedò turpiter hallucinatus  
 eſſes. Bullingerus veram cauſſam allaturus ait: Rectè di-  
 xit Ioannes Apoſtolus, fortiorem eſſe, qui eſt in Sanctis,  
 quàm qui eſt in mundo. Neq; enim terruerunt homi-  
 nem S. S. plenum minæ & ſannæ infanientium. Et Gual-  
 terus ſcribit: Præſtitit hic Dominus, quod promiſit, nos  
 non orphanos fore, ſed Spiritum conſolatoreſ habituroſ  
 dicit. Satiuſ igitur erat, mi Zanchi, & quidem multò  
 ſatiuſ, te domi ad focum conſidere, vt caleſcas pluſculum,  
 quàm argumentis adedò frigidis, te & tuos erudituſ ride-  
 doſ propinare.

### V. Ratio Zanchiana.

Zanch. fol. 4. **L**ucas ait de Stephano, inquit Zanchiuſ; Intendens  
 ſa. 2. in cœlum vidit gloriam Dei, quofnam oculoſ inten-  
 dit in cœlum, annon corporiſ? Et hic iracundior Zan-  
 chiuſ in me inſurgit: reſponde, inquit, tu oculatiſſime iu-  
 ueniſ, ſemicæco ſeni Zanchio ad hoc argumentum. Quoſ  
 in cœlum intendit oculoſ Stephanuſ, iuſdem etiam vidit  
 Ieſum in cœlo ſtantem. Ratio. Quia non fit duùm ocu-  
 loroſ, ſeu duùm videndi generum in contextu mentio.  
 Minor. Atqui oculoſ intendit Stephanuſ non ſolùm  
 mentis, ſed & corporiſ. Ergo. Sic ille. Reſpondeo: Dicaſ  
 te ipſum Chryſippum argumentantem audire: Et videriſ  
 tu Holdere, quofnam oculoſ intendere veliſ animi ne vel  
 corporiſ. Sed reſ benè habet, mi Zanchi. Etenim ſi Hol-  
 deruſ non ſatiſ oculatuſ tibi videtur: ecce ſeneſ duoſ, tuo  
 etiam iudicio oculatiſſimoſ: Bullingeruſ atq; Caluinuſ.  
 Nam quod tu quæriſ, quofnam oculoſ Stephanuſ inten-  
 derit, reſpondet ille, oculoſ animi: hic verò per fidem  
 oculoſ Stephani uſq; ad cœloſ euectoſ eſſe. An verò fidei  
 oculi

oculi & corporis ijdem tibi sunt mi Zanchi? Quid ergo superest, quàm vt os fidei & os corporis quoq; vnū & idem sint? Videtne mi Zanchi, Holderum tuum non vsq; adeo stupidum esse, sicut tibi fortè persuaseras? Nam vbi non satis tibi oculatus videtur, Sacramentariorum conspici-  
lis vtitur, vel eam ob caussam, ne falli circa obiectum non proprium ipsius visum existimes, cum iam non suis sed alienis, & quidem Sacramentariorum tuorum oculis videat. Atqui dices, cur non ad argumentum meum respondes. Respondeo: Sperabam te interea obliturum, vt hoc metu liberares. Tantum enim eius robur est, tanta firmitas, vt nisi mox dissoluatur, vltro sit corruiturum. Sed ad rem. Et dic mihi tu, mi Zanchi, nosti ne quid sit fallacia secundum plures interrogationes? Si ignoras (video enim te plurima ignorare) id vt videas in hoc tuo argumento, licebit. Ita enim captiosè Minor argumenti tui formata est, vt siue animi, siue corporis oculos Stephanum intendisse dicam, tibi pateat effugium. Coniungis enim in Minori vtrumq;, cum in Maiori tantum oculorum corporis mentionem feceris, sicut præcedentia verba testantur, cum dicitis: Quosnam verò oculos in cælum intendit, annon corporis? In Minori subsumis: Atqui oculos intendit non solum animi, sed etiam corporis. Verum hoc est ex insidijs, non aperto Marte pugnare.

Deinde quid opus est responsione mea, cum tu ipse refutes tuum argumentum. Nam in probatione Maioris dicitis, non duum videndi generum, sed tantum vnus fieri mentionem in contextu. In Minori autem dicitis Stephanum non tantum animi, sed etiam corporis oculos intendisse. Et sic probatio Maioris euertit Minorem propositionem tui syllogismi: & (vt dixi) vltro corrui robustissimum tuum & Herculeum argumentum.



## VI. Ratio Zanchiana.

Zanch. fol. 5. „ **H**Uc pertinet (inquit Zanchius) quod Stephanus ait:  
 „ Ecce. Rem enim ceu præſentem & ſub oculos corpo-  
 „ ris cadentem indicabat. Quemadmodum & Baptiſta con-  
 „ ſpecto Ieſu dixit: Ecce agnus Dei. Sic ille. Formetur autem  
 ſyllogiſmus: Scriptura ſacra quibusdam locis, cum dicit,  
 Ecce, rem ceu præſentem & ſub oculos corporis cadentem  
 indicat vt Ioan. 1. Atqui Act. 7. Stephanus inquit  
 (Ecce) Ergo rem ceu præſentem & ſub oculos corporis  
 cadentem vidit, ſcilicet corpus Chriſti in ultimo cælo.  
 Verùm oculos tu aperi, mi Zanchi, ſiue animi, ſiue corpo-  
 ris, ſiue vtriuſq;: Et dic mihi, in qua figura ſit ille ſyllogiſ-  
 mus, nunquid in prima? Omnino. Cum autè primæ figu-  
 ræ modi ſint quatuor, ad quem ex his quatuor referes tu-  
 um ſyllogiſmum? Ad nullum, quia Maior particularis eſt.  
 Norunt autem pueri, qui ferulis adhuc ſubiſciuntur regu-  
 lam decimam ſyllogiſmorum: In prima & ſecunda figura  
 maior ſemper ſit vniuerſalis. Eruditù verò philoſophum.  
 Diſce, quaſo, mi Zanchi, illud Ariſtotelis quid ſit, Dici  
 de omni & Dici de nullo. Prima figura (attende mi Zan-  
 chi) prima, inquam, figura procedit à genere ad ſpeciem,  
 tu, vt ſic dicam, ordinem invertis, & à ſpecie progredieris  
 ad genus. O retrogradam Zanchianam philoſophiam.  
 Intelligiſne iam, quam malè tibi conſulueris, cum ſcribe-  
 res, eſſe me non ſimpliciter indoctù? Quotupliciter enim  
 tu indoctus eris, qui mihi in primis Philoſophiæ rudi-  
 mentis informandus quaſi traditus eſ?

Præterea ſimulatq; à longè argumentum iſtud tum  
 puer aſpexerit, mox & non ſine riſu exclamabit: Regula  
 boni ſyllogiſmi eſt: Ex puris particularibus non neceſſe  
 eſt ſequi veram conſuſionem; et etiamſi ſequitur, caſu  
 tamen id magis ſit, quàm lege ſyllogiſmorum. Vno atq;  
 altero exemplo res fiet illuſtrior. 1. Samuel. 9. ait ſeruus  
 Sauli. Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac. Ergo ex hypotheſi  
 Zanchiana

Zanchiana feruus Sauli rem, hoc est, ipsum Samuelem ceu præsentem & sub oculos corporis cadentem indicabat, Atqui sequitur in contextu : Et dixit Saul puero suo, veni eamus, & abierunt in ciuitatem: Et rursus : Et dixerunt nū hic est Videns. Quid igitur abierunt in ciuitatem, cum eum ceu præsentem habuerunt, aut cur quærent, hincne sit Videns, si particula [Ecce] significat rem sub oculos corporis cadentem? Sic 1. Reg. 14. Dicit Dominus ad Ahiam Prophetam: Ecce vxor Ieroboami ingreditur ad te. Ergo oculis corporis illam vidit Ahia. At Textus inquit: Non poterat videre, quia caligauerant oculi eius præ senectute. Vide lepidas tuas consequentias, mi Zanchi, vide inuictas tuas rationes, annon satius fuerat, te fuisse *αυφ'ου* *πρόσωπου*.

Iam & illud cogita, Zanchi, regula boni syllogismi est: Ne sit plus in conclusione quàm fuit in præmissis. Id tu præstitisti quidem, nec in excessu, sed in defectu à te erratum est. Minus enim est in conclusione, quàm erat in præmissis. Conclusio enim argumenti tui si rectè formetur, est: Ergo Stephanus Christum in carne corporeis oculis in ultimo cælo ceu rem præsentem vidit. Atqui tu probare volebas, Stephanum verè vidisse Christum. Vocula autem (ceu) si ignoras Aduerbiū est similitudinis, simile verò non est res ipsa, nam simile, vt aiunt, non est idem, sed aliquid quod cum re similitudinem quandam habet. Sequitur ergo, Stephanum non tam Christū in carne aut corpore, quàm aliquid carni aut corpori Christi simile vidisse. Vide quæso quantū mihi negotij faceflat tua inscitia.

### VII. Zanchiana ratio.

NEq; Iudæi etiam (ait Zanchius) aliter intellexerunt. *6c Zanch. fol. 5.*  
 Ergo. Antecedens probat: Quorsum enim (inquit) tanto furore aduersus eum accensi fuissent, vt sequitur in contextu? Sic indoctus Holderus à Iudæis pariter & Græcis erroris condemnatur. Ego verò respondeo. Tu Zanchi,



auream illam Iurisperitorum regulam, vt video, aut igno-  
 ras, aut certè temerè negligis, qua monent, non eſſe pro-  
 nunciandum, niſi perſpecta tota lege. Id ſi tu feciſſes, iam  
 pudore non ſuffunderèris. Nam iam dudum furore ac-  
 cenſerant Iudæi, & quidem tanto, vt contextus habeat:  
 Diſſecabantur cordibus ſuis, & dentibus ſtridebant in  
 eum. Vides te non totam legem inſpexiſſe. Iſtud quidem  
 libenter largior, cum hæc poſteriora audirent ex Stepha-  
 no, nihilò factos erga ipſum mitiores: ſed quod hanc ſo-  
 lam cauſam adfers, erras & fallaciam committis à nō cau-  
 ſa vt cauſa. Cauſæ enim erant aliæ, vt quòd non poſſent  
 reſiſtere Spiritui Sancto, qui loquebatur in Stephano Act.  
 6. quòd redarguerentur cum fiducia: Item, quòd di-  
 ceretur locutus aduerſus locum ſanctum & legem. Item:  
 quòd dixiſſet: Ieſum Nazarenum deſtructurum iſtum lo-  
 cum, & mutaturum traditiones à Moſe acceptas. Item:  
 quòd a audire cogebantur, ſe accepiſſe quidem legem in  
 diſpoſitione angelorum, ſed non cuſtodiriſſe illam. Act. 7.  
 Inprimis verò illud, quod dixerat: Dura ceruice & incir-  
 cumciſis cordibus & auribus vos ſemper Spiritui Sancto  
 reſiſtitis, ſicut patres veſtri: ita & vos. Quem propheta-  
 rum non ſunt perſecuti patres veſtri? & occiderunt eos,  
 qui prænunciabant de aduentu Iuſti, cuius vos nunc pro-  
 ditores & homicidæ fuiſtis. Hæc, Zanchi, erant cauſa  
 furoris ipſorum, quæ tu præ furore, (nam ira furor bre-  
 uis eſt) videre non poteras

Et vt ita eſſet ſicuti dicis, tamen negarem conſequen-  
 tiam, neq; enim ſequitur: Iudæi ſic intellexerunt: Ergo non  
 aliter accipiendum eſt. Nam & ijdem promiſſiones de re-  
 gno Chriſti, carnaliter acceperunt, de extremo aliquo hu-  
 ius mundi regno. Ergo ex hypotheſi Zanchiana ſequitur,  
 regnum Chriſti mundanum eſſe. Valet quidem argumen-  
 tū ab autoritate affirmatiuum: ſed hanc eius rationem ad-  
 ferunt Dialectici, quia probatis artificibus in ſua arte cre-  
 dendū ſit. Iudæi verò probati artifices nequaquā ſunt. Re-  
 probarunt enim lapidem, qui factus eſt in caput anguli.

Hæc

Hæc, mi Zanchi, respondere ad rationes tuas volui, ne isto metu penitus conficereris, quo te timere, dicebas, ne effem ad tuas rationes peior quam *καφὴν πρόσωπον*. Ex his verò cum tu satis perspicias, quàm acutus disputator sis, obtestor te per omnem eruditionem tuam tam philosophicam quàm Theologicam, ne posthac vltra crepidam. Nam vti vides, ad istam rem prorsus ineptus es.

Cùm hucusq; venisset Zanchius, vulnus conscientie sentiens ait: At tu sic interpretaris, Zanchi: tuæ sunt hæ consequentia. Respondeo: Ita profectò est vt dicis, mi Zanchi, rem acu tetigisti, & si quicumque veri habet tota tua responsio, id habet verissimum. Tuæ enim sunt istæ consequentia, non scripturæ; adeò firmis nexibus coherentes, vt arenam dixeris sine calce.

Quod verò addis: Adferes ergo tu meliorem interpretationem Holdere. Respondeo: Quàm verò ridiculum illud est, tu fabulæ huius actor es, tibi incumbit probatio, quare ego tuam culpam præstarem? Videamus potius, qua fide, quanto iudicio atq; candore vetustatis, tuorum etiam, & nostrorum hominum testimonia aduersum me producas, vt intelligat lector candidus, quàm pias ante discessum tuum ex hoc mundo habeas meditationes. Vbi imprimis pius lector denuò meminerit, non esse statum controuersia, an Christus Paulo in cælo visus, nec an oculis corporis visus, sed an oculi Pauli donati fuerint noua & insolitia acie, qua per omnia obstacula ad vltimum vsq; & remotissimum cælum penetrare, & ibi Christum coràm intueri potuerit. In cuius rei testimonium Zanchius primò Theodoretum adducit: cuius hæc sunt verba.

*Testimonium Theodoreti.*

**A**udiui enim (inquit) Zachariam prophetam dicentem, videbunt in quem transfixerunt. Quomodo autem finem accipiet propheta, si qui crucifixerunt, naturam non agnoscant, quam crucifixerunt? Audiui autem etiam præclarum victorem,

Zanch. fol. 5.



Zanch. fol. 5.  
fc. 2

videtorem Stephanum clamantem. Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem ad dexteram Dei. Vidit autem eam, quæ videtur naturam, non quæ sub aspectum non cadit. Hactenus ille. Hic exclamat raucus meus senex: Audisne Holdere sententiam Theodoretum de visione Stephani. Et rursus: Destituor ne (inquit) omni prorsus autoritate Antiquitatis? Compono autem tale argumentum: Quibus oculis illi, qui Christum crucifixerunt videbunt corpoream eius naturam è cœlo ad iudiciû venientem, iisdem & Stephanus eandem vidit in cœlo stantem. Atqui crucifixo illi videbunt corpus Domini Iesu in nubibus veniens oculis corporeis. Ergo & Stephanus vidit corpus Christi in cœlo existens, oculis corporeis. Deo gratias. Benè cecidit. Metuebam enim, ne pro syllogismo, scopas dissolutas. Quid ergo ad Gyganteum istud argumentum respondebimus?

Primò vicem Zanchij dolemus ex animo, quòd septuagenario maior, & qui omnem penè ætatem in vetustate laboret & industria, ab vno Theodoro vestem qualemcunq; & laceram emendicarit, qua nuditatem suam ut tegere possit. Sed nostram causam lex divina agit, & tuetur: quæ ait: Non stabit testis vnus contra aliquem. Deinde non est exceptione omni maior hic testis. Theodoretum enim qui non nouit, ille non multum in vetustate nouit.

Et esto: non solum exceptione omni maior sit, sed etiam plures in hanc sententiam, adduci posse: tamen illi nihil ad rem, sed extra articulos ( ut sic loquar ) deponerent. Dicit enim ille, visam & videndam Stephano & crucifixoribus eam naturam, quæ videri possit, id est, humanam, quis verò id negat? Diuina certè natura corporeis oculis in se videri non potest. Quod igitur tu, nescio quam, consequentiam nectis, tuum id commentum, non Theodoretum mens & sententia est. Id quod iam ostendam responsurus ad tuam

Gen. 19.

ad tuum argumentum. Et nego Maiorem. Nam quod tu in vim probationis dicis: ad idem probandum adductum est Stephani argumentum, ad quod & vaticinium Zachariae citatum est. Fateor verum esse, sed ad probationem Maioris nihil facit. Theodoretus enim vtrumq; exemplū citauit, non vt ostenderet, quibus oculis, sicut Maior tuū syllogismi ait (ijsdem oculis) sed quam naturam, scilicet humanam, & quæ videri poterat, visam Stephano & videndam crucifixoribus. Et magnam facis Theodoro in iuriam, quòd in suspicionem eum adducis, quasi tuas ineptias probarit: neq; enim Stephanus & crucifixoꝝ Christi ijsdem oculis, vt Maior tua loquitur, sed ille suis, hi itidem suis, & singuli proprijs oculis vidit & videbunt naturam, quæ videri potest, nisi fortè putes, posse alterum ab altero oculum accipere mutuo.

Zanch. fol. 5.  
f. 2.

Deinde nec ijsdem, etiam si proprijs. Stephanus enim Christum vidit oculis corporis mortalis, illi autem videbunt oculis corporis gloriosi & spiritualis. Quomodo ergo ijsdem? De oculis corporum huius seculi scriptum est: Non videbit me homo & viuet: sed de oculis corporis glorificati inquit Apostolus: Videbimus eum, sicuti est. Ecce quantum discrimen sit: Ecce quantus Theologus sis.

Præterea, si hæc esset Theodoreti sententia, quam tu illi imperitè tribuis, etiam à pueris erroris posset conuinci. Ponamus enim, vtrinq; ijsdem vidisse oculis: tamen vtriusq; visionis prorsus dissimilis est ratio. Crucifixoꝝ enim videbunt naturam, quæ videri potest, coràm, venientem in nubibus, cui illi obuiam rapiuntur in aëra. Quomodo autem eadem ratio posset esse in Stephano, qui in terra adhuc constitutus ijsdem oculis humanam Christi naturam in supremo & vltimo cælo viderit? Quod sicut Theodoro in mentem nunquam venit, ita Zanchianæ Theologiæ singulare quoddam experimentum est.



## Testimonium Nic. Lyrae.

Zanch. fol. 6. „ **P**roferam etiam vnum, inquit Zanchius, ex Scholaſticis  
 „ & non contemnendum interpretem, Nicolaum de Ly-  
 „ ra. Reſpondeo: Dic verò, mi Zanchi, annon ſenſiſti cop-  
 „ ſcientiæ ſtimulum, cum Lyram teſtem tuæ opinionis pro-  
 „ duceres? Vix enim quicquam ad illam euertendam ma-  
 „ gis idoneum adferre potuiſſet Lyra, quàm quod eo ipſo  
 „ loco ſcribit. Poſtquam enim primam & ſecundam, men-  
 „ talem ſcilicet & imaginariam, vt rectè dicis, viſionem, re-  
 „ citafſet, ad tertiam & corporalem accedens ait: Ex mo-  
 „ do loquendi ſcripturæ videtur, quòd fuerit (viſio) cor-  
 „ poralis &c. Circa quod aliqui dixerunt, quòd viſus Ste-  
 „ phani à Deo fuerit fortificatus in tantum, quòd vidit le-  
 „ ſum ſcilicet exiſtente in cœlo empyreo, cœlos acutie vi-  
 „ ſus penetrando? Annon hæctua eſt opinio Zanchi? Au-  
 „ diamus ergo, quomodo nunc illam confirmet Lyra. Rectè  
 „ enim ſequitur: Sed hoc non videtur benè dictum (audi  
 „ Zanchi, audi, obſecro) ſed hoc non videtur benè dictum  
 „ (ait tuus teſtis, Zanchi) quia præſupponere videtur, quòd  
 „ viſus fiat extrà mittendo ab oculo, & non intus ſuſcipien-  
 „ do ab obiecto, quæ improbat Philoſophus libro de ſen-  
 „ ſu & ſenſato. Sic ille. At verò, mi Zanchi, non cogitabas,  
 „ me inſpecturum Lyram, & craſſum illud tuum & palpabi-  
 „ le mendacium deprehenſurum? Sed hæc Sacramentariorū  
 „ fides, hic eorum candor eſt, vt quod ille de fraudibus aru-  
 „ ſpicum dixit, huc maximè quadret. Mirum, ſi Sacramen-  
 „ tarius Sacramentarium aſpiciens non rideat.

## Testimonium D. Lutheri.

Zanch. fol. 6. „ **V**enio ad noſtros (inquit Zanchius) in primis ad Lu-  
 „ therum, quem, ſicut credo pluriſ à te fieri, quàm om-  
 „ nes Patres, omnes Scholaſticos, omnes noſtri ſæculi do-  
 „ ctos in quauis regione extra Germaniam, imò in Germa-  
 „ nia

nia ipsa, viros: sic etiam ego nunquam paruifeci, & in cuius libris plura fortassis quàm tu, obseruauit. Et paulò post: Hic igitur magnus vir, & heroicus Dei seruus in maioribus Postillis à Bucero versis in Latinam linguam, in die S. Stephani historiam Actorum 7. explicans apertissime scribit: Stephanum oculis corporeis uidisse cœlos apertos & Iesum stantem à dextris Dei. Respondeo: Quanta Lutheri autoritatem faciat grex Sacramentariorum, plus satis notum est. Certè quando ita vis, mi Zanchi, scias me vnicum Lutherum non solùm pluris facere, quàm Zanchios omnes, sed & Sacramentarios in vniuersum omnes, quocunq; nomine vocentur. Quòd verò ambitiosè affirmas, te plura in libris Lutheri obseruasse, quàm ego, eius rei vel hic ipse locus testis esse possit. Meministi translationis maioris Postillæ Lutheri per Bucero editæ, quòd si tu obseruasses in libris D. Lutheri, quid de ista Buceri translatione scriptum reliquisset, procul dubio silentio præterijsses. Sic enim de Bucero & versione eius Lutherus: Martinus Bucerus inter vestros est præcipuus, dilectus frater & conseruus Christi inter vos: qui vos adhuc viuentes in Sanctorum numero habet. Is Pastoris nostri, Domini Pomerani Psalterium latinè conuertit: est enim dicendi & interpretandi dono ornatissimus: & egregium istum librum veneno doctrinæ vestræ de sacra cœna ita corruptit, vt vix ratio aliqua huic rei inueniri queat, atq; sub nomine Domini Ioannis Pomerani etiam error iste diuendatur, quem tamen ore & calamo indefinenter impugnat. Hoc facinus vos sancti homines scilicet, toleratis, quasi eo delectemini, neq; Bucero autores estis, vt peccatum reuocet & retractet, cum tamen probè sciatis, quantum ea in re D. Ioannis Pomerani intersit, & quàm grauiter isto flagitio sit affectus. Pari quoq; ratione, Postillâ meam, inter libros quos ego scripsi, omnium optimum (quem etiam Papistæ approbant) suis præfationibus, interfationibus, & postfationibus ita



» cœdauit, vt ſub meo nomine blaſphema illa & nefaria do-  
 » ctrina, multò latiùs propagetur, quàm fortaiſe per om-  
 » nes alios libros veſtros. Quid hic faciam? aut quibus mo-  
 » diſ huic rei conſulam? Ferre id cogor tanquam canis ali-  
 » cuius morſum. Præſationibus in iniuriam iſtam animad-  
 » uerti: ſed quid proficio? Intellexit ſanè probè Diabolus,  
 » librum iſtum omnium manibus verſari, iccirco auidè eum  
 » arripuit, & ſuo excremento cœdauit. Et ita ego innocens,  
 » nolim velim, Diaboli cogor eſſe *καταργωτός*. Nihilomi-  
 » nus tamen (iſtorum hominum opinione) nihil patimur,  
 » felici rerum ſucceſſu vtimur, calumniatur alios, morda-  
 » ces ſumus. Ipiſi verò ipſa ſunt ſanctitas: & nihilominus ve-  
 » neni dolos adhibent, & lethaliter vulnerant, vt ſanare  
 » ampliùs nequeas. Enimuerò ſi Chriſtianus eſſem, ita ef-  
 » ſem affectus, vt mori malim, quàm vt meo libro inſcius  
 » & inuitus aliorum animis venenum propinem.  
 » Ecce, quomodo anhelent iſti homines, & ipſorù Dia-  
 » bolus errorem ſuum, vt eum etiam per alienos libros pro-  
 » pagent: quaſi verò non ſatis librorum ſit, quibus hoc tem-  
 » pore totum orbem obtundere conantur. Quid putas fu-  
 » turum poſt obitum meum? dum hoc me viuo ſit, Vuittem-  
 » berga adhuc exiſtente, & iſta vidente. Ex quibus intelli-  
 » giſ, & qua fide egerit Bucerus, & quàm feliciter in lectio-  
 » ne operum Lutheri verſatus ſis. Eius rei & alia & pluri-  
 » ma vel in hac ſola reſponſione tua extant exempla. Fol. 14.  
 » Scribiſ nos plura corpora Chriſtò affingere: vnũ, quod  
 » in cœlo tantùm ſit, alterum in pane, tertium vbiq; omnia  
 » replens. Quomodo autem id probaſ? quia Lutherus ſcri-  
 » piſit, Chriſtum habere corpus in cœlo quidem exiſtens cir-  
 » cumſcriptiuè, in pane autem cœnæ definitiuè, vbiq; verò  
 » repletiuè. Sed fortè ſenſile fuit ſuper ſenſum tuum, Zan-  
 » chi, vt non potuerit facere ſenſationem, iuxta Philoſo-  
 » phum. Aut enim non obſeruaſti probè verba Lutheri, aut  
 » inſignis eſt tua vanitas. Neq; enim Lutherus tria corpo-  
 » ra Chriſto tribuit, imò nec tres modos eſſendi corporis  
 » Chriſti

Christi facit, sed probaturus, Deum etiam alium modum, præter localem, habere posse, quo corpus suum præsens exhibeat, ait: Sophistæ rectè dicunt, esse tres modos alicubi essendi, quare igitur & Christo non alius modus præsentia sui corporis esse possit, quàm vnicus ille localis? Et quod tu fingis, illum scribere, Christi corpus esse definitiuo modo in Cœna præsens, ille nihil horum dicit, sed hoc ait cum per clauas ianuas & monumenta transiret, factum esse modo definitiuo: Et quod scribis, illum, corpus Christi repletuè ubiq; præsens esse, docere, contrarium planè habet, vt expressis verbis affirmet, modum repletuè alicubi essendi ad solum Deum pertinere, citato Hierem: testimoniò cap. 23. Vide igitur, Zanchi, annon tu homo extremè malus sis? Vide, inquam, annon sis calumniator? Et an non vanitate repletum sit cor tuum?

Sed vt ad Lutheri autoritatem & testimonium etiam respondeam, quæso te, mi Zanchi, est ne tibi etiam frons aut conscientia? Nam hanc ipsam tuam de Stephani oculis phantasiã hoc ipso loco D. Lutherus ridet & reijcit. Nec te pudet in hac tua ætate, illum somnij tui proferre testem. D. Lutheri verba hæc sunt: Hic iam quaestionem mouent Doctores subtiles, qui diuinas res ratione æstimant, & immensum mare ligulis æqualibus metiri conantur: qua ratione D. Stephanus in cœlum potuerit videre, cum tamè oculi nostri videre non possint auem, quæ paulò altius à terra sese extulerit? quomodo ergo Christum ita accuratè potuit dignoscere, quod ipse Christus, & nõ alius fuerit? Et si in nostra turri cernamus virum, existimamus esse puerum, neq; qui sit agnoscimus. Idcirco huic rei ita medentur, Stephani oculos ratione supernaturali illustratos, vt tam longè tamq; accuratè posset cernere. At verò, quid si Stephanus in domo sub fornice fuit? Apagè hæc humanas fabulas. Ex quibus perspicuum est, vsq; adeò non subscribere comento tuo Lutherũ, vt tanquam solidum etiam exagitet, & humanas fabulas appellet.



Et dicas mihi velim, Zanchi, ex quo loco dialectico ſum-  
tum ſit hoc tuum doctiſſimum argumentū: Lutherus ri-  
det Zanchij figmentū & appellat fabulam. Ergo illud ap-  
probat. Niſi fallor, ex loco abſurdorum. Adeo enim inep-  
ta collectio eſt, vt nihil dubitem, etiam ipſos Sacramen-  
tarios, vt tuo verbo vtar, cachinnaturos.

*Teſtimonium D. Brentij  
& Illyrici.*

**Q**uanta autem eſt impudentia tua, qua etiam D. Bren-  
tium p. m. huius tui ſomnij inſimulas, cum de hoc  
ipſo loco, contra Bezam & Bullingerum publicis ſcriptis  
pugnarit. Et quomodo, quaſo, docuiſſet Brentius, Chri-  
ſtum Stephano in vltimo caeſo viſum, cum Sacramenta-  
rium eiufmodi caelum vſpiciam eſſe ille nunquam credide-  
rit, vt merito frontem perfruiſſe viris bonis videaris.

Eadem etiam de Illyrico eſt ratio, cuius haec ſunt verba:  
Verè ſanè Chriſtum Stephanus vidit, quomodo autem  
haec viſio ei obiecta ſit, non eſt adſcriptum. Ecce Zanchi,  
quid igitur modum tuum nouum & inſolitum ex Illyrico  
probare conaris? Et addit Illyricus: Nō poteſt autem hinc  
certus locus gloriae, aut dextrae Dei, aut Chriſti ſtatui, que  
vbiq; eſt. Si igitur dextera Dei Illyrico certus locus non  
eſt, quomodo tu, ipſo teſte, probabis, Chriſtum in vltimo  
caelo ad dextram Dei tanquam certo loco à Stephano  
conſpectum? Ecce hic eſt candor veſter.

*Teſtimonia Buceri, Caluini,  
& Gualteri.*

**P**oſſem paucis me expedire, & dicere, eſſe teſtes dome-  
ſticos, qui quo loco habendi ſint, quis ignotat? Sed de  
ſingulis reſpondebo ſigillatim.

Et Bucerum quidem, in quem finem adduxeris non vi-  
deo.

deo. Ille enim nihil de oculis Stephani, sed quid cœlorum apertio significet, docet. Qua in re illum cum Caluino vt concilies, iubeo. Quòd enim Bucerus cœlos apertos, atq; adeò ex Marco diffissos contendit, Caluinus ait: Quantum ad me attinet, nihil in cœlorum natura mutatum fuisse arbitror. Hos sibi inuicem concilia priùs, deinde illum, an opponi nobis possit, videbimus.

De Caluino suprâ dixi, scribere illum: per fidem euctos fuisse Stephani oculos, quòd si ille vel alibi vel hoc ipso loco aliter sensit, tuum erit, illum sibi conciliare. Quid enim testi tam vario, & in sua depositione adeò inconstanti tribuendum sit, nemo ignorat.

Gualterum verò cur testem adhibes, nisi vt ostendas tuam incertitiam? Ait enim ille: Oculos Stephani insolita acie donari, Deo facilimum fuisse: quis verò id neget, nisi qui Dei omnipotentiam tollat? Nos autem credimus apud Deum non difficile esse omne verbum. Tu vero dixeras: Oculi eius acutissima videndi acie & facultate donati FVERVNT ad Christum vsq; in cœlos penetrandi. Qui hoc dicit, ei non tantùm facultatis, sed etiam voluntatis diuinæ incumbit probatio. Id verò Gualtherus non scripsit. Quid igitur te iuvat ipsius testimonium?

Cùm huc vsq; venisset Zanchius, exultat ob rem benè gestam. Et ex his, inquit, pium lectorem iudicaturum arbitror, an oculis mentis prorsus obtusis, an verò ali- quid cernentibus scripserim. Respondeo: Sophoclem aiunt in extrema senectâ à filijs hæreditati auidius inhiantibus delirij accusatum. At is cum pro apologia Trægædiam exhibuisset iudici, rogans num ea delirantis videretur, absolutus dicitur. Quòd si ex his Zanchij rationibus de iudicio ipsius pronuncian- dum fuerit, adeò de causâ mea nihil dubito, vt de victoriâ certus, sententiam iudicis aduersus ipsum, quasi ex scheda recitari, audire iam mihi videar. Interea quanta dexteritate ea, quæ à me allata sunt refutet, videamus.

Opposueram

Zanch. fol. 8.



Zanch. fol. 8. fa. 2. „ Opposueram Zanchio Bullingerum, qui visionem Stephano oblatam mentalem fuisse dixerat. Adiunxi etiam Bullingero Augustinum, cuius eadem est sententia. De „ Bullingero respondet Zanchius: Prudens Holderus tacuit, quod optimus & modestissimus Bullingerus sua explanationi subiecit, nempe, se super hac quaestione non multum disceptaturum. Respondeo: Quid praeterea, mi Zanchi? Num ideo haec Bullingeri sententia iam amplius non est, quia ait se cum nemine ea de re velle disceptare? Certè si benignè tibi & vltro concedam, quod his verbis extorquere mihi conaris, duo inde consequentur. Alterum, Bullingerum animi dubium, non habere, quod affirmet, aut vbi consistat, sed & pro cathedra suo populo & publicè omnibus proponere, de quorum veritate ipse adhuc haesitet. Alterum duos ministros Euangelij, collegas, in vna & eadem vrbe, Ecclesia, cathedra, vnum & eundem locum scripturae diuersimodè interpretari. Et cui „ horum fidem adhibebunt auditores? Huius ait Zanchius, „ interpretatio, magis cum contextu Lucae congruit, ille „ verò scribit, non solum ipsum locum, conclusum scilicet „ & obseptum, sed & virtutem fidei suadere, & ipsum fidei „ sensum flagitare, vt ipsius interpretationi subscribant. Tuū iam erit Zanchi, ad tollendum schisma illos sibi conciliare. Interea cogita tecum, mi Zanchi, quomodo verum esse possit, quod de Bullingero scribis: Non ita suam probat sententiam, vt nostram improbet. Quid verò dicis, an tuam sententiam non improbat, qui eam cum sensu fidei pugnare dicit. Nunc cum sensu fidei, etiam sensum communem amisisti.

Zanch. fol. 8. fa. 2. „

Ad Augustini locum, quod censuram Erasmi obijcis, ego sanè eam facilè contemnendam non puto, sed de summa vestra iniquitate conquerimur meritò. Etenim qui consensum tortodoxum nobis pepererunt, citant librum Augustini, cui titulus [ Manuale ] de quo Erasmus, confarcatum per quenpiam nec eruditione nec eloquentia prædi-

præditum lectuq; indignum, vt qui cap. 16. in hominis potestate ponat, vt promereatur regnū cœlorum. Citatur liber de essentia diuinitatis, quem Augustini esse Erasmus penitus negat, sed stili facilitatē Hugonem potius Victorinum referre. Citant librum de fide ad Petrum Diaconum, quem Erasmus ait Augustini non esse, quòd phrasis sit abiectior, nulla eius fiat in retractationum libris mentio, & quòd infantes sine baptismo decedentes æternis ignibus cruciandos tradat. Citatur liber Augustini de incarnatione verbi, quem Erasmus ait non esse Augustini, sed studiosi cuiusdam stilum exercentis: quòd sermonis durities & alia quædam admixta ostendant, atq; adeò ipsum titulum olere fucum, & meminisse illum autorem bis commentariorum Augustini in Genesim. Citant librum de dogmatibus Ecclesiæ, quem Augustini esse negat Erasmus, sicut & Tertulliani, inter cuius tamen scripta à quibusdam ille liber relatus est. Nam capite quarto Tertullianus hæreticus dicitur. Citant lib. Quæst. Vet. & No. Test. Videatur censura Erasmi: qui decem & amplius argumentis ostendit, non esse Augustini. Citant Sermonem vigesimum octauum ad fratres in Eremo. Erasmus ait illos sermones nihil habere Augustini: sed artificem qui eos finxerit voluisse ordinem Augustinensium commendare, præsertim ijs sermonibus, quos litera **B** signarit, in quibus est ille ipse vigesimus octauus sermo. Citant librum de Pœnitentiæ medicina, similiter, de vtilitate pœnitentiæ, quem etiam Beza contra D. Pappum allegat. Et vix vllus est Augustini, censurâ Erasmi notatus, liber, quem illi non testem aduersus piam doctrinam produxerint. Et tu ipse Zanchi, annon alibi citas librum Augustini de fide ad Petrum Diaconum? Annon alibi citas librum Aug. 83. Quæst. & alibi alios? Num verò ignoras Erasmi censuram? Num verò hoc est æqua lance iustitiam administrare? Mirabiles pfectò Sacramentarij estis, nobis scilicet ferenda & probanda sunt, quæcunq; vobis in Patrum



ſcriptis ſumitis. Eadem ſi nos aut dicamus aut faciamus, ingens piaculum fuerit. Hæc eſt æquitas veſtra, hic candor Sacramentarius.

Zanch. fol. 9. „ Quod verò hoc loco ſubijs, Zanchi, ad duas illas acutiſſimas rationes Lutherum reſpondere, eas pueriles eſſe.  
 „ Deus enim ſi reuelare ſeſe ſuis velit ſiue viſu ſiue auditu, cœlum & omnia proxima nobis eſſe. Reſpondeo: Primò quòd pueriles eas eſſe vis, ego ſanè non repugno. Atqui cogitare debuiffes, niſi tibi deeſſet iudicium, Bullingeri eas eſſe & Auguſtini, non meas. Non itaq; quod volebas, merides: ſed optimum & modeſtiſſimum, quem vocas, ſenem Bullingerum, cuius cum exiſtimationis periculo iſtud coniunctum eſt. Quod verò tu homo ridiculus, easdem per ironiam acutiſſimas appellas, ego, vt lectorem recreem, Bullingerum cum Thalmanno, hoc eſt, Sacramentarium cum Sacramentario committam. Et iudicet lector candidus, cuiuſnam rationes acutiores ſint. Mihi enim hic neq; ſeritur neq; metitur.

Bullingerus itaq; ſcribit, mentalem fuiſſe Stephani viſionem. Domum enim concluſam & vndiq; obſeptam fuiſſe, in qua oculi Stephani per tecti culmen vtiq; penetrare non potuerint. Reſpondet Thalmannus: Potuit viſio illa fieri per feneftras, potuit etiam fieri per alios eius domus aditus. Quid quòd magis veriſimile eſt, non in domo quapiam, ſed ſub dio potiùs iudicium peractum fuiſſe? Et ſi in domo Pontificia, in veſtibuſo potiùs ſeu atrio domus reſi peractam, ſicut cum Chriſto quoq; factum fuerit? Miror autem, non veniſſe illi in mentem iuxta focum fieri potuiſſe, vt per caminum facta fuiſſet viſio, præfertim ſi eodem anni tempore oblata Stephano viſio iſthæc fuerit, quo nos eius memoriã celebramus, hoc eſt, hyeme penè media, vbi frigus plærunq; intensus eſſe ſolet. Quàm acutè verò illi & quàm grauiter? Quòd ſi tui, mi Zanchi, ſicut acutiſſimam oculorum Stephani aciem,  
 ita

ita acutissimis hisce rationibus acutiores etiam contingere possis, non parum laudis ex eo tibi accedet.

Quod verò ad verba Lutheri attinet, quibus ait cœlum & omnia nobis proxima esse, si Deus se reuelare velit: verè utiq; ista Lutherus scripsit. Sed quid hoc ad te attinet? neq; enim quæritur, quid Lutherus sentiat, sed an tu his subscribas. Certè, si vetustatis (vt de S. scriptura nunc taceam) tanta esset apud vos (vt quidem videri vultis) auctoritas, sine hæsitatione amplecteremini. Sic enim de Cœna Domini Chrysostomus inquit: Vt terra nobis cœlū fit, facit hoc mysterium. Sed aurum subaratum & friuolum Sacramentariorum effugium est. Alibi enim de Stephano ita scribunt: Ipsam carnem Christi glorificatam ei visam, ita vt non necesse fuerit hanc ipsi fieri propiorem, sed quòd per nouam aciem oculorum vsq; ad cœlestes beatorum regiones penetrare potuerint, & ibi Dominum longè disitum videre. Hæc igitur tua responsio nihil prorsus facit ad rem, sed fucus inanis est & prætextus vanissimus.

Quæris præterea, quomodo intelligam illud (nullo modo) si naturaliter, te concedere, sed nihil ad controuersiam pertinere: si dicam, nullo modo, etiam supernaturaliter, blasphemiam esse in omnipotentiam Dei. Respon- deo: Augustini verba sunt, non mea, & quidem perspicua. Si illum blasphemiam conuincere volueris, facies tuo periculo. Certè vt simpliciter impossibile dicam, id al' sit, nec enim Sacramentarium, hoc est, blasphemum os mihi est, sed ex hypothesi impossibile dicere nihil dubito, hoc est, donec Deum id velle ostendas; cum ea quæ nolit, nec posse, Antiquitas scripserit.

Hisce addit quoddam suū corollarium: Mirabiles profectò homines estis, qui, cū vultis, ita fores, vbi erant discipuli, clausas, corpori Christi peruias facitis: vt quæ apertā etiam contradictionē implicant, illa fieri per omnipotentiam Dei posse, contendatis. Cū itidem vobis placet, ita



domum vbi erat Stephanus, vndiquaq; Chriſto ſepitis &  
 clauditis: vt ſuo ſplendore, quo Stephanus confortatus,  
 in cœlo Chriſtum videre poſſet, Protomartyrem illuſtra-  
 re non voluerit. Sic Zanchius. Sed quare mirabile id eſt,  
 in oculis tuis, ſi credamus quod ſcriptura iubet credere,  
 Ioan. 20. quod omnis Antiquitas credidit, vt iam oſten-  
 dam? Aut quare mirabile, ſi non credimus, de quo nullum  
 extat verbum, vt de noua oculorum Stephani acie? Mira-  
 biles eſtis proſectò vos Sacramentarij: expreſſo verbo de  
 Chriſto per clauſas fores intrante, vniuerſa vetuſtati con-  
 tradicentes, non vultis credere, ſed aciem inſolitam ocu-  
 lis Stephani donatam, ſine vlla verbi Dei aut Antiquitatis  
 autoritate affirmatis. Iſtud mirabile eſt in oculis noſtris,  
 mi Zanchi.

Tripliciter itaq; pauculis hiſce verbis me calumniaris.  
 Primò quod dixi Auguſtinum & Bullingerum ſcribere,  
 clauſam & obſeptam fuiſſe domum, id tu per calumniam  
 mihi tribuis. Deinde, ita me claudere domum, in qua Ste-  
 phanus fuit, ais, vt ne quidem Chriſtus ipſe protomarty-  
 rem ſuo ſplendore illuſtrare valuerit, cum non de facultate,  
 ſed de voluntate inter nos quaſtio ſit. Tandem quod  
 ſcribis me clauſas fores corpori Chriſti peruias facere,  
 etiã ſi contradictionem apertam implicet. Neq; enim  
 mea, ſed Scripturæ & Antiquitatis hæc interpretatio eſt,  
 cuius rei teſtimonia aliquot ſubiijciam.

Tract. in Ioan.

121.

Serm. 156.

Auguſtinus ait: Moli autem corporis, vbi diuinitas  
 erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: ille quippe, non apertis  
 eis, intrare potuit: quo naſcente virginitas matris inuiol-  
 ata permanſit. Et alibi: Quomodo eum obſerata do-  
 mus excludere potuit, quem porta mortis includere non  
 potuit? Et iterum: Quid mirum, ſi ſubſtantiam corporis  
 noſtri, per clauſa oſtia tranſmiſit, cui etiam penetralia ſu-  
 pernorum & ſolis angelis familiare ſecretum patere, con-  
 ſuevit? Et paulò poſt: Quid mirum, ſi Dominus ad diſci-  
 pulos glorificatum corpus clauſtris ſtupentibus intromi-  
 ſit, qui

fit, qui illæso materni pudoris signaculo ianuam mundi  
 huius intrauit? Item Sermon. 160. Audiuit Charitas ve-  
 fra Christum clausis ostiis introisse ad discipulos. Magnū  
 miraculum. Sed mirari desines, si Deum cogitaueris. Mi-  
 rum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omni-  
 potentiam, non ad phantasiam. Et ibidem: Ostiis clausis  
 intrauit? Respondeo tibi, vt scias, quia vera caro fuerat,  
 cicatrices tangendo monstrauit. Et rursus. Ille enim vi-  
 uens per clausas ianuas intrauit, qui nascendo integrita-  
 tem matris non violauit. Item: Credis nempe Dominum  
 super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis  
 vtiq; : Dicis igitur mihi, si per ostia clausa Christus intra-  
 uit, vbi est corporis pondus? Recedant paulisper modus  
 & pondus. Ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Et ibi-  
 dem: Christus qui carnem suam potuit de sepulchro pro-  
 ducere, non potuit clausis ianuis ad discipulos introire?  
 Quando audis miraculum, serua fidem, non inquirat ani-  
 mus rationem. Et rursus: Miraculum est, quod Domi-  
 nus in carne vera intrauerit ad discipulos, per ostia clausa,  
 requiris à me forsitan rationem? O homo, si rationem à  
 me poscis, non erit mirabile, exemplum quæritur, non est  
 singulare. Et alibi: Contra naturam huius corporis, vi-  
 demus illud per clausa ostia intrare. Omnia enim possi-  
 bilia sunt Deo. Ita & Hieronymus: Quod clausis ingres-  
 sus est ostiis, eiusdem virtutis est, cuius & ex oculis eua-  
 nescere. Num saluator nisi ostium aperuerit, Apostolos  
 non videbit? Quid est maius, terram appendere super ni-  
 hilum: an Deum transire per clausam portam & creatu-  
 ram cedere creatori? Idem in Epitaphio Paulæ: Quomo-  
 do ingressus est clausis ianuis contra naturam solidorum  
 corporum? Et contra naturam grauium corporum ante  
 resurrectionem super mare ambulauit. Et Augustinus:  
 Virtus diuina per inuolatæ matris virginea viscera, mem-  
 bra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia iuuenis in-  
 trodixit. Huic sententiæ subscribit etiam Cyrillus, cum

Serm. 159.

De Agon. Christ.

cap. 14.

Ad Pammach.

In Epit. Paul.

Epist. 3.

In Ioan. lib. 12.

cap. 53.



Serm. 9 de re=  
ſurrect.

De Trinit. lib. 3,

» ait : Chriſtus omnipotentia ſua, rerum natura ſuperata,  
 » clauſis foribus cum corpore ingreſſus eſt. Nullus ergo  
 » quærat: quomodo clauſis ianuis corpus Chriſti penetra-  
 » rit, cum intelligat non de homine nudo, vt nos ſumus, ſed  
 » de omnipotente filio Dei hæc ſcribi. Nec non & Chryſo-  
 » ſtomus: Eſt quod nos quoq; cum Thoma dubitemus, niſi  
 » reſpiciamus facta autoris: ſed ſi Deum eſſe, de quo loqui-  
 » mur, cogitemus, cui nihil inuium, cui humanum quoq;  
 » peccus peruium conſitemur, cuius hoc idem corpus clau-  
 » ſis oſtijs, in ipſa ſtatim ſalutatione, conſpicuum ſpectaba-  
 » tur diſcipulis. Hæc ſi indubia fide credamus, ab omni  
 » quæſtionis ſcrupulo liberamur. Et idem alibi: Sed quo-  
 » modo clauſis oſtijs intrauerunt oſſa & caro? clauſa ſunt  
 » oſtia, & intrat, quem intrantem non videmus. Vnde igitur  
 » intrauit, omnia clauſa ſunt, locus non eſt per quem intret,  
 » & tamen intus eſt, qui intrauit. Si neſcis quomodo factum  
 » ſit, de hoc potentia Dei. Ad eundem modum etiam Hi-  
 » larius: Quæro ergo, per quas clauſæ domus partes ſeſe  
 » corporeus intulerit? Diligenter enim Euangelista expref-  
 » ſit, dicens: Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio di-  
 » ſcipulorum ſuorum, Anne conſtructa parietû penetrans,  
 » ſolidam lignorum naturam impenetrabilem tranſcurrit?  
 » Stetit namq; corporeus, non ſimulatus, aut fallax. Sequan-  
 » tur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingreſſum, & cum  
 » eo clauſam domum intelligentiæ tuæ ſenſus introeat. In-  
 » tegra ſunt omnia & obſerata: ſed ecce aſſiſtit medius, cui  
 » per virtutem ſuam omnia ſunt peruia. In inuiſibilibus  
 » calumniaris: ego à te viſibilium expoſco rationem. Nihil  
 » cedit ex ſolido, neq; per naturam ſuam aliquid tanquam  
 » lapſu inſenſibili, ligna & lapides admittunt. Corpus Do-  
 » mini à ſeſe non deficit, vt ſeſe reſumat ex nihilo, & vnde eſt,  
 » qui aſſiſtit, in medio? Cedit ad hæc & ſenſus & ſermo &  
 » extra rationem eſt veritas facti? Idcirco ergo, vt de nati-  
 » uitate Domini fallimur: ita & de ingreſſu Domini menti-  
 » amur? Dicamusne factum non fuiſſe, quia intelligentiam  
 » faci

facti non comprehendimus? Et cessante sensu nostro facti  
 ipsius cesset effectus? Sed mendacium nostrum ipsius facti  
 fides vincit: absistit Dominus, clausa domo, in medio di-  
 scipulorum, & filius natus est ex patre. Noli negare quòd  
 steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem consistentis  
 non consequaris introitum. Augustinus: Quomodo eum  
 repellere potuit obiectus repaguli, quem non cohercuerat  
 pondus sepulchri? Serm. 156.

Quæ cum ita se habeant, non mirabilis homo Holderus  
 est, sed mirabilis Zanchij inscitia est, & mirabile calum-  
 niandi studium.

Scripteram inter cætera, sacras literas docere, visionem  
 Paulo oblatam, non in cælo sed in viâ Damascenâ. Re- Zanch. fol. 9.  
 spondet Zanchius: ad se ista nihil pertinere, cui nihil ali- fa. 2.  
 ud fuerit propositum, quàm vt è manibus Vbiquitario-  
 rum eriperet fortissimum scilicet telum, nempe: Corpus  
 Christi, cum apparuit Paulo, erat in cælo & in terra. Er-  
 go potest in multis simul esse locis, eoq; & vbiq;. Respon-  
 deo: Ego verò ex hoc ipso fundamento probaui, Chri-  
 stum in cælo simul fuisse & in terra. Si enim cælum &  
 terra distincta loca sunt, & Christus manens in cælo, suo  
 tamen corpore Paulo in via Damascena verè apparuit, se-  
 quitur profectò; Christum suo corpore simul diuersis &  
 longissimè dissitis locis fuisse. Nisi fortè dicere malit, Hie-  
 rosolyma Damascum proficiscenti per medium cælum  
 (Sacramentarium) transeundum esse.

Infert Zanchius: Quòd si quis etiâ vobis det, fuisse Chri- Zanch. fol. 10.  
 stū simul in cælo & in terra quid hoc ad Vbiquitatem ve-  
 stram? Respondeo: Plurimū. Fatentur enim Sacrametarij,  
 quod tu fortè ignoras, duobus aut pluribus locis esse, eo-  
 dem fundamento niti, quo omnibus & vbiq;, adeò, vt alibi  
 Heidelbergenses olim Theologi scripserint, si ostenda-  
 mus, Christū suo corpore duobus aut pluribus esse posse,  
 nolle se de Vbiquitate porrò quicquā cõtendere: & meri-  
 to quidem. Non minus enim cum proprietate corporis  
 physici,



phyſici, vt phyſici, pugnat, duobus aut pluribus quàm omnibus locis corpus aliquod præſens eſſe, vt qui prius concedat, poſterius iure negare non poſſit.

Zanch. fol. 10. 22 Quod autem ex me quaeris, an Chriſtus fuerit ſuo corpore in cœlo, cum re ipſa & viſibiliter apparuerit Paulo? Reſpondeo: Ex hypotheſi tua, Zanchi, ex hypotheſi tua, inquam, ab abſurdo contra commentum tuum argumentatus ſum: ex eadem hypotheſi tua reſpondeo, non fuiſſe in cœlo. Cum enim cœlum & terra diſtincta loca ſint, & corpus Chriſti non poſſit ex hypotheſi veſtra niſi in vno loco ſimul eſſe, quomodo ſimul in ſupremo cœlo & in via Damascena eſſe potuiſſet?

Zanch. ibid. 22 Si ergo ait Zanchius, non erat in cœlo, ſaltem in aërem deſcenderat; ſed tu hoc etiam improbas. Reſpondeo: Improbo ex hypotheſi veſtra, & abſurda quæ inde conſequantur oſtendi, ad quæ tu es *κατὰ πρόσωπον*. Ergo inquires (ait de me Zanchius) erat ſimul & in cœlo & in terra. Reſpondeo: Vtiq; aio. Nam quod tu addis, quibus ſcripturis, quibus Patrum teſtimonijs, quibus rationibus iſtud probare velim aut poſſim, illud profectò valdè ridiculum eſt. Hæc enim ipſa ratio mea eſt, ex ſcriptura petita, videlicet, poſtquam mihi largiris, quod etiam ex ſacris literis demonſtraui, Chriſtum in cœlo manentem, vero tamen ſuo corpore Paulo in via Damascena apparuiſſe: et verò iſthæc duo diſtincta loca ſint ex veſtra hypotheſi, annon neceſſariò ſequitur, Chriſtū ſuo corpore ſimul duobus locis præſentem fuiſſe? Sed agnoſco veritatem pro-  
uerbij: Senes bis pueri.

Zanch. fol. 10. 22 Iam duobus argumentis veritatem verbi diuini oppugnat. Primum tale eſt: Qui Chriſto tribuunt corpus inuiſibile per veritatem, nepotes ſunt Marcionis. Ratio, quia corpus inuiſibile non humanum corpus eſt: ſed phantaſticum. Atqui Vbiquitarij tribuunt Chriſto corpus inuiſibile. Ergo. Alterum eſt. Si Chriſtus ſuo corpore ubiq; præſens eſt, non potuit eum, etiam præſentem, videre Paulus.

Paulus. At Vbiquitarij Christum etiam carne sua vbiq; esse affirmant. Ergo. Ratio Maioris est: quia sensibile su-  
per sensum non facit sensationem, si autem Christus tum vbiq; erat, erat etiam in pupillis & super pupillas oculorum Pauli, & sic sensibile non potuit facere sensationem. Videtne amice lector, quàm acuta sit Zanchiana Philosophia, quæ etiam nodum in scirpo videat? Et putasne tu cerebrum Zanchij etiam adhuc facere sensationem? Liceat enim nobis sic loqui.

Laudo tamen hominis ingenuitatem: vt enim meresspondendi molestia liberaret, hæc subiicit: Sed ista, in-  
quies, sunt physica. Sic ille. Et mox respondet sibi ipsi: Tua verò, mi Holdere, sunt plusquam antiphysica, quia  
neq; in rerum natura, neq; supra aut infra naturam, tale corpus reperiri, imò ne excogitari quidem potest, quale vos Christo affingitis: ita vt vestra phantastica phantasia  
excellenter omnibus vel humanis vel Angelicis mentibus mihi sanè esse videatur: quippe quæ potuit illud imaginari, quod nemo ceterorum hominum, aut etiam angelorum percipere potest. O acutissimos & plusquam diuinos intellectus. Hactenus ille. Respondeo autem: Omnia ista liberaliter tibi largior, esse scilicet plusquam physica & antiphysica. Sunt enim mysteria verbo Dei patefacta, omnibus philosophis ignota. Largior, inquam, libenter, nullum præter Christi corpus, vel in vniuersa rerum natura, vel etiam supra aut infra eam reperiri, sed esse istud mysterium (tu pro grauitate senili phantasticam phantasiam appellas, cuius blasphemix pœnas Deo dabis) excellentius omnibus humanis & angelicis mentibus, atq; adeò planè diuinum. Quare autem, cum plus sint, quàm physica, physicis legibus à vobis subiiciuntur? Cum mysteria sint, quare ad examen rationis humanæ reuocantur? Quasi verò probari neq; possint neq; debeant, nisi quæ cum naturæ legibus & rationis iudicio consentiant? Id tu nunquam scripsisses, Zanchi, si vel mediocriter



De Gen ad Lit. „ in vetuſtatis lectione verſatus fuiſes. Sic enim Auguſti-  
 lib. 6. cap. 13. „ nus: Voluntas Dei eſt ſuper omnia, potentia quippe ſua  
 „ numeros creaturis dedit, non ipſam potentiam ſuam cre-  
 „ aturis alligauit. Quare itaq; tu Dei potentiam creaturis  
 „ alligare conaris?

In Ioan lib. 12. „ Cyrillus inquit: Deus cum ſit, rerum naturæ non ſub-  
 cap. 53. „ iacet. Quid igitur tu ſub naturæ leges cum cogere cona-  
 „ ris?

Hom. 32. in „ Chryſoſtomus: Fortior eſt Dei conſtitutio, quam na-  
 Math. „ turæ virtus. Non enim Dei præcepta naturæ ſubiecta ſunt,  
 „ ſed natura Dei præceptis obtemperat. Cur igitur tu na-  
 „ turæ ſubijcis?

Queſt. 117. „ Iuſtinus ſcribit: Quæ in humana natura Chriſti, per di-  
 „ uinam potentiam vltra & præter naturam ſunt, de illis  
 „ impoſſibile eſt, ſecundum naturæ conditionem, rationem  
 „ reddere poſſe. Quare igitur tu ad conditiones naturæ  
 „ corpus Chriſti reuocas? Quare rationem ex natura reddi  
 „ poſtulas?

Lib. 1. de iſs qui „ Ambroſius inquit: Quid hæc quæris naturæ ordinem in  
 Myſt. init. cap. „ Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Je-  
 9. „ ſus partus ex virgine. Et alibi: Multa in eodem & ſecun-  
 Lib. de Sacram. „ dum naturam inuenies, & vltra naturam, vt crederes,  
 cap. 5. „ quia Deus erat, qui nouabat naturam. Cur igitur quæris  
 „ tu naturæ ordinem in Chriſti corpore? Cur non potiùs  
 „ credis, Deum eſſe qui operetur vltra naturam?

De corp. & „ Paſchaſius inquit: Ipſe Dominus clamat: Hoc eſt cor-  
 Sang Dom. „ pus meum. Ne igitur mireris, o homo, neq; requiras na-  
 cap. 13. „ turæ ordinem. Potentia diuinitatis contra naturam, vl-  
 „ tra noſtræ rationis capacitate operatur.

Quæ cum ita ſint, & promiſſio de præſentia Chriſti in  
 verbo Euangelij expreſſa ſit, non alio reſponſo, quàm  
 L b. 12. de Ci- „ Auguſtini vos dignos iudicamus; qui inquit: Impias ar-  
 nit. Dei cap. 17. „ gumentationes ſi ratio refutare non poſſet, fides irridere  
 „ debet. Et rurus: Credamus hoc, fratres. Etsi enim ar-  
 „ gumenta

gumenta philosophorum difficile soluimus, illud tamen quod demonstratum est in Domino sine difficultate tenemus. Garriant illi, nos credamus.

Et quis non miretur, Zanchi, te eruditionis laudem tibi vendicare, & tamen scribere, corpus Christi, humanum corpus non esse, si sit inuisibile. Augustinus inquit: Nos in *In Sent. Prosp.* specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est carnem & sanguinem Christi, honoramus. Ergone Marcionis nepos est Augustinus?

Idem alibi inquit: Hoc est, quod dicimus & modis *Ibidem.* omnibus approbare contendimus; Sacramentum hoc duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine. Ergone phantasticum corpus Christi facit Augustinus?

Bernhardus gratulatur Sponsæ Christi, Ecclesiæ. In De Cœna Domini terra, inquit, Sponsam habes in Sacramento: in cœlo habitura es sine velamento. Et hic & ibi veritas, sed hic *ni.* PALLIATA, ibi manifestata.

Cyrillus vel continuator eius inquit: Non abscondit *Cyrill. cap. 8. in Ioan.* se in angulo templi, quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum aut columnam diuertens, sed cœlica potestate inuisibilem se insidiantibus constituens.

Sic etiam Theophylactus: Quomodo autem se occultat? non in angulum templi se coniecit, neq; in domunculam quandam fugit, neq; post parietem vel columnam se incuruauit, sed sua magna potestate, inuisibilem se fecit insidiatoribus. *In Ioan. cap. 8.*

Chrysostronus scribit: Neq; discipulis diutius se ita *Cap. 6. Ioan.* videndum præbuit, sed simul & visus est, & euauit.

Sic Hieronymus ad Pammach. Quod repente ab oculis euauit: virtus Dei est, non umbræ aut phantasmatis. *Ad Pammach.*

An verò tu Zanchi hosce omnes Marcionis nepotes



Ep. 146.

dixeris, & qui corpus Chriſti in Marcioniticum & phan-  
taſticum tranſformet? Videſne quid accidat illis, qui  
tanta myſteria ad regulas philoſophicas reſtringunt, &  
qui neſciunt, quid ſit diſcriminis inter corpus, quod filij  
Dei proprium eſt, & reliqua humana corpora? Imò vt ali-  
ud dicam, Auguſtinus, dum quodam loco non de Chriſti,  
” ſed noſtris corporibus verba facit, inquit: Valet diuina  
” potentia de iſta viſibili & tractabili natura corporū, qui-  
” buſdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates.  
” Quare ergo iſtud negetur corpori Chriſti, de quo ruruſus  
” Auguſtinus: Ille hoc facit, cui nihil eſt impoſſibile, qui de  
” ſuo corpore fecit, quod voluit.

Cætera quæ præter rem admisceſt Zanchius, ſicuti ad  
preſens negotium nihil faciunt, ita oſtendunt ipſum, car-  
dinem controuerſiæ Sacramentarię nondum ſatis intelli-  
gere, ſed cæco prorfus impetu oppugnare, de quibus ipſi  
” nihil penitus conſtat, vt cum ſcribit: Idem corpus ſecun-  
” dum eandem ſuam ſubſtantiam & eodem ſenſu & eodem  
” tempore diuerſis eſſe in locis non poſſe. Sic cum nobis  
” tribuit, quaſi doceamus: quòd vnum & idem corpus & ſe-  
” cundum idem & *ὁμοῦλος*: & eodem tempore in pluribus  
” ſit locis. Ad hæc & *ὁμοῦλος* breuiter reſpondeo. Si Zanchius  
noſtram de hac materia ſententiam non intelligit, quare  
temerè oppugnat? Sin verò intelligit, & ex propoſito ca-  
lumniatur, reſpondeo ei; Idem Zanchius ſecundum ean-  
dem ſubſtantiam ſuam, eodem ſenſu, ſecundum idem, eo-  
dem tempore, diuerſis etiam in locis, impudentiſſimus  
calumniator eſt.

Zanch. fol. 19.

ſa. 2.

Tandem: Gratulor, inquit, tibi & hoc, quòd ab eorum  
” fatua hæreſi defeciſti, qui docuerunt, & multis editis li-  
” bris per totum Chriſtianum orbem ſparſerunt, propter  
” vnionem duarum naturarum in Chriſto perſonalem, om-  
” nes eſſentiales diuinæ naturæ proprietates, in humanam  
” ita eſſe realiter tranſfuſas, ſeu effuſas, ſeu communicatas:  
” vt non minùs humana, quàm diuina, realiter ſit omnipo-  
” tens

tens, omnipræsens &c. Quanquam illa per se, hæc autem  
 per illam & κατ' ἄλλο: & quod contra scripseris pag. 23. in  
 hæc verba: Tu vero candidè lector illud obseruabis dili-  
 genter, quando dicimus cum scriptura & vetustate: carni  
 Christi propter vnionem personalem, per communica-  
 tionem verè donatas diuinas proprietates, non quòd eas  
 in se & subiectiuè habeat: sed quòd diuina natura per car-  
 nem suam assumptam, neq; seorsim aut separatim, sed, in-  
 quam, per humanitatem in ea & cum ea (Athanasij verba  
 sunt) propriam diuinam suam potentiam exerceat. Ha-  
 ctenus Zanchius. Respondeo: O fatuum senem (quid ni-  
 enim fatuum dicere ausim eum, quem piam doctrinam de  
 persona Iesu Christi, fatuam hæresin publico scripto &  
 calamo blasphemò, appellare non pudet, cùm iam, vt  
 Augustini verbo vtar, animam propemòdum inter den-  
 tes habeat, & de se profiteatur ipse, quòd nihil nisi disces-  
 sum ex hoc mundo meditetur) O, inquam, fatuum impi-  
 um & blasphemum senem, qui sacra & prophana ridet, &  
 contemnit: de quo verè Hieronymus ad Paulinum: Quan-  
 ti hodie diu viuendo portant funera sua, & quasi sepulchra  
 dealbata, plena sunt ossibus mortuorum? Et iudicate vos  
 ipsi Sacramentarij, existimatistne Zanchium vel nostram  
 vel vestram doctrinam, in hac controuersia assecutum es-  
 se, qui ex isto Athanasij loco, quem nostri toties vestris  
 opposuerunt, quem vt vestri eriperent nostris omnem  
 mouerunt lapidem, ille ait; me hoc ipso, defecisse à fatua  
 meorum hæresi? Et aduertite simul, quomodo nostram,  
 quomodo vestram opinionem recitet, vt facile ostendat  
 se neutram intelligere? & tamen hic oculus agminis vestri  
 esse debuit. Quòd si in ipso lumine tantæ sunt tenebræ,  
 tenebræ ipsæ quantæ erunt?

August. in Epist.  
 stolam Ioannis.

Videamus tamen Zanchianam explicationem dicti  
 Athanasij, vt æquus lector specimen aliquod habeat, qua  
 fide patrum dicta tractent & interpretentur Sacramenta-  
 rij. Sic enim scribit Zanchius: Optarim tamen hic clario-  
 rem



Athanaſ. Dia-  
logo 5. de Trin.

rem explicationem dicti Athanaſij. Sic Zanchius. Antequam autem eius explicationem ſubiſciam, dictū Athanaſij recitabo. Pro bonitate ſua ( inquit Athanaſius ) placuit ipſi ( diuinitati ) per aſſumptam humanitatem in ea & cum ea propriam diuinam ſuam potentiam operando exercere &c. Iſta ſic explicat Zanchius: per eam ( humanam ſcilicet naturam ) id eſt non per eam, ſed per ſeiſpſam, diuina natura actiones ſuas edit. Diuina enim per humanam ſuas proprias actiones non edit, ſed per ſe ipſam. In ea: ait Zanchius, hoc eſt exiſtens in ea, quia ab humana ( natura ) nunquam ſeparatur diuina. Cum ea: ait Zanchius, hoc eſt, non cum ea. Nam quòd diuina ſuas actiones nunquam edat ſine humana, falſiſſimum eſt; ait Zanchius. Annon hic lepidus interpres eſt? Si iſtud Iudæis etiam & Turcis liceat, annon illi Talmud ſuum, & hi Alcoranum ex vetuſtate probabunt, & tamen non bona fide eos aut minùs candidè egiſſe quis dixerit? Sic etiam ſcribit Zanchius: Sacramentarium cœlum tibi fœtet, cùm ſit tamen mundius Vbiquitario, quod uſq; ad omnes omnium cloacarum fœces pertingit, illiſq; repletum eſt. Reſpondeo: Num uero, mi Zanchi, ij qui de diſceſſu ex hoc mundo cogitant, non alias habent, quàm impias eiufmodi & calumniôſas meditationes? Nam ut de poſteriori primo loco dicam, oſtende tu, ſi potes, quis ex noſtris ſcripſerit, cœlum ad omnium cloacarum fœces pertingere, illiſq; repletum eſſe, & audies quid reſponſurus ſim: ſi uerò neminem poſſis producere, annon dignus eſſes, cui impium os, cloacarum fœcibus repleretur. Ad prius uerò quod attinet, fateor fanè Sacramentarium cœlum mihi fœtere. Nam fœtidos & malè olentes hircos, quos Chriſtus è ſuo cœlo excludit, illud admittit, & obuijs vlnis amplectitur. Quid ni igitur fœteret?

Matth. 25.

Ex quibus omnibus maniſteſtiſſimum eſſe arbitror, ſi quis Zanchium eruditè diſputare affirmet, eum non minùs

nus ridiculum fore, quàm qui persuadere nobis conetur,  
asinum quempiam doctè fidibus canere posse.

**TERTIA ZANCHIANA IN**  
*TERPRETATIO, QUAE IN*  
*ordine est sexta.*

**D**ixerat Zanchius: Si quis nolit concedere  
Christum eodem modo apparuisse Paulo, quo  
Stephano, accedit tertia responsio. Ea est:  
Christum sua Deitate qua ubiq; est, corpus si-  
bi nouum formasse, atq; sub illo Paulo in terris apparuis-  
se, suo naturali corpore interim in cœlis relicto, à quo  
non discessit. Haecenus ille. Nunc verò cum ex Prodro-  
mo meo didicisset, hanc opinionem hircum Marcioniti-  
cum olere, suam esse pernegat, sed aliorum quorundam  
suae sectae hominum, quos tamen nominare non potest.

Sed quid quaeso, mi Zanchi, te iuuat, si tibi gratifica-  
turi, credamus; non tuam, sed alterius cuiusdam Sacra-  
mentarij, istam opinionem esse, num verò ideò vicisti?  
Anne de statu causa inter me & te quicquam decedit? Ni-  
hil verò minùs. Neq; enim de personis, sed de rebus ip-  
sis, inter nos controuertitur; ideò non tam tua persona  
excusanda, quàm ad rem ipsam respondendum fuerat.

Deinde si haec tua sententia non est, sed aliorum; simul ta-  
men adeò absurda, vt illam non modò non probare, sed  
etiam tanquam cum sacris literis pugnantem firmissimo  
(vt ais) argumento refutare volueris, dic quaeso, in quem  
finem illam libro tuo inseruisti? An nõ satius fuerat silen-  
tio oppressam, penitus eam dissimulare. Et dic quaeso, qua  
eius



eius rei cauſa tibi fuerit? Fortè vt Sacramentarios tuos falſè rideres ipſe? Aut vt oſtenderes vanitatem ipſorum, qua ſcripturas non per ſcripturas, vt factum oportuit, ſed contra ſcripturas, orthodoxi videlicet interpretes, explicent, vt idipſum confirmes, quod ego dixeram? Aut fortè perſuaſiſti tibi, aliquid momenti ad doctrinæ veſtræ confirmationem adferre poſſe ineptam illam & impiam interpretationem, quæ neq; veri neq; firmi quicquam habeat, ſed cum ipſis ſcripturis etiam ex diametro pugnet? Vide, mi Zanchi, in quos compedes teipſum tua inficiatione conijcias.

Præterea ſi tua non erat illa interpretatio, quare non autoris nomen, vti par erat, addidiſti? Aut ſaltem perſpicuè dixiſſes: non meam, ſed aliorū interpretationem adfero, vt ſi fortè nomen autoris libro non erat appoſitum (nam multi veſtri libri, cum vos eorum propter repetitas calumnias pudeat ſine autorum nominibus exeunt) tantum libri titulum nobis expoſuiſſes, & aliquis nunc purgationi tuæ locus eſſet? Imò vel nunc tandem hac tua reſponſione iſthuc præſtituiſſes, cum intelligeres, te in ſuſpicionem eius ſomnij veniſſe, vt & tua innocentia manifeſta fieret, & conueniri à nobis huius impietatis autor poſſit. Iſtud verò aut quia non vis, aut quod probabilius eſt, non potes; nemo, opinor, nobis vitio vertet, ſi in te cudatur iſthæc faba. Tute enim cum intriueris, meritò etiam tibi exedendum erit.

Inſuper, vt tua non ſit iſthæc impia interpretatio, tamen gratiam mihi debebas, quòd hac occasione ( ſi modò aliū autorem verifiſimiliter ſubſtituere poſſis ) per me tantæ impietatis ſuſpicionem ( cuius tamen tu ipſe cauſam dediſti ) tempeſtiuè liberaris. At verò tu pro officio conuicia, homo ingratus, reddis.

Adhæc, ſi falſam iudicas hanc interpretationem, & quæ cum ſcripturâ nequaquam conueniat, quare tanto conatu per ſex penè integras paginas tuæ reſponſionis eam defendendam

sendendam suscipis: Nunc verò etiam propugnare tibi visum est ea, quæ tu ipse falsa & impia pronuncias?

Adde iam & illud, quod pag. 9. responsionis tuæ scribis: Nihil aliud tibi propositum fuisse, quàm vt è manibus “ Vbiquitarianorum eripias fortissimum illud telum, scilicet, “ Christum cum Paulo apparuisset, simul & in cælo & in “ terra fuisse; & eripuisset te ( ais ) allatis varijs illorum locorum interpretationibus.

Verùm, mi Zanchi, tres (vti nunc scribis) tantùm attulisti, ex quibus hæc vna est. Quòd si illa falsa est interpretatio, & à te ipso etiam vt impia, firmissimo argumento refutata, quomodo quæso hac ipsa, nobis (vt ais) nostrum eripuisti telum? Anne vera falsis, aut potius falsa veris argumentis euertuntur? Est ne tibi integra mens, mi Zanchi?

Huc accedit (cuius suprâ memini) quod scribis, te ea, quæ ego de mentali visione à te dicta acceperam, non aliam ob causam dixisse, quàm vt ostenderes hanc absurdam & impiam opinionem aliquo modo confirmari posse. Dic ergo tu, mi Zanchi, quid tandem tibi velis: nunc dicis te istam opinionem non probare, defendi non posse, à te firmissimo argumento refutatam esse. Nunc verò dicis, ita tibi placere, vt conficto argumento, confirmari à te posse, & confirmandam esse censeas: an verò non hoc est Deo & hominibus illudere?

Iam & ad illud, si potes, mihi responde, Zanchi. Postquam duas priores tuas interpretationes commemorasses, hæc verba subiungis: Quòd si quis nolit concedere, “ *Fol. 1. f. 4. 2.* “ Christum eodem modo apparuisse Paulo, quo Stephano, “ accedit tertia ratio. Ea est, Christum Deitate sua, qua ubiq; “ est, corpus nouum sibi formasse, &c. Sic tu. Ex quibus “ manifestissimum est, te tùm temporis non solùm non improbasse hanc impietatem, sed plus tibi spei in ea repositum



rum eſſe, quàm duabus prioribus exiſtimaſſe: vt qui illam his tanquam fundamentum ſubieceris. Si igitur iam falſam & cum ſacris literis pugnantem fateris, annon & cætera vltro corruunt; cùm fundamentū, quo illæ innituntur, à te ipſo iam euerſum ſit. Sic tibi & tuis iſta negatione intempeſtiua conſulis. Quæ cùm ita habeant, tantisper te autorem huius impietatis pronuntiabimus, donec tu verum autorem profitearis. Interea ego reſponſionem meam differam, donec de aduerſario meo mihi aliquid conſtet, ne cum laruis luctari, & Andabatarum more aërem verberare videar.

QUARTA ZANCHIANA DE VI-  
SIONE PAULI INTERPRETATIO,  
que eſt in ordine ſeptima.



anc ſuam eſſe non negat quidem, ſed adeo frigidè eam tuetur, vt dicas alienam cauſam agere, aut certè vulnus conſcientiæ ſentire. Sic autem res haber.

Fol. 1. ſa. 2. „ Scripſerat Zanchius, potuiſſe Chriſtum, quo ad huma-  
 „ nitatem, tùm temporis cœlū deſerere, & in aërem deſcen-  
 „ dere, vt Paulo appareret. Neq; enim corpus Chriſti vni  
 „ alicui loco ita alligari, vt inde nequeat diſcedere, ſed libe-  
 „ rum illi eſſe, quocunq; velit, ſe transferre. Reſpondi ego,  
 „ meminifſet, quæ ſocij eius ſcripſiſſent, malè certè cum his  
 „ ei conuenire. Videret igitur, ne nimia ſua liberalitate rem  
 „ Sacramentariam peſſundaret. Et citavi autorum nomina,  
 „ libros, loca, verba, quorum alij ſcripſerant: Chriſtum ſuo  
 „ corpore tantum in cœlo eſſe, alij cœlo captum, alij liga-  
 „ tum, vt nuſquàm niſi ibi eſſe poſſit, & ſic ſedere ad dex-  
 „ teram Dei, certo ſcilicet loco, vt inde moueri, vsq; ad no-  
 „ uiſſimum diem non poſſit, ante quem nobis reddenda  
 „ non ſit eius humanitas. Quid verò ad hæc Zanchius? Pri-  
 „ mò,

mò, puerilia, ait, sunt ista. Respondeo: Certè puerilia, imò Hier. Epist. 5. ad  
& stulta, si Hieronymo credimus; qui ait: Est in Ecclesia Eph.  
stultiloquium, si quis putet, cœlum fornicis modo cur-  
uatum, solum quoq; in cœlis positum & super eo sedere  
Deum in ritum Imperatoris, & angelos stare in circuitu,  
vt qui verbis iubentis obtemperent. Ecce tibi cœli Sacra-  
mentarij descriptionem ex vetustate. Si itaq; stultè aut cer-  
tè pueriliter à vobis factum agnoscis, reliquum est, vt ab-  
iectis illis crepundijs, posthac, cum tuis, illud Augustini  
memineris, cum inquit: Nostræ fidei est, de Dominici Lib. de Fid. et  
corporis dignitate, honesta & sublimia sapere. Symb. cap. 6.

Secunda Zanchij responsio est. Si tu non es Vulcanus,  
certè famulus eius es in eadem officina. Respondeo: Piè  
vtiq; pro ætate tua & satis grauitè, vti Sacramentarium  
mortem perpetuè meditantem decet. Ego certè neq; Vul-  
canus sum (scio enim quem pungere velis) neq; eius fa-  
mulus; famulus Domini esse cupio, vtinam fidelissimus,  
in omni domo eius. Tu verò cum ista scriberes, Zanchi,  
cuius famulus fueris, cui mentem, manum, & linguam  
collocaris: quæso, si potes, seriò tecum cogita,

Tandem ad rem ipsam accedit, quod prius omisis illis  
conuitijs factum oportuit. Et primò quærit ex me, an ne-  
gem, Christum suo corpore in aërem descendere potuisse.  
Respondeo breuiter. Non solùm non nego id fieri posse,  
sed futurum etiam, & fortè breui, vt visibiliter in nubibus  
veniat, vbi nos ei obuiam rapiemur &c. Hoc autem dixi,  
mi Zanchi, vt istud, quod scribis cum tuis conciliares, qui  
Christum cœlo captum & ligatū scripserant. Ista verò tu,  
mi Zanchi, conuitiando nondum conciliasti. Videamus  
tamen, quomodo singula saltem emollire coneris.

Et primò (inquit ille) respondet tibi Zanchius, ea quæ  
tu citas ex Patribus & ex nostris, imperitè & calumniosè  
à te adduci. Respondeo: Duo simul grauissima conuitia  
aduersum me euomis, sed si ea pbare poteras, quare nō fa-  
ciebas,



ciebas, vt fidem habere tibi candidus lector possit. Si enim conuictiari sufficit, quis erit innocens? Cùm autem probare non possis, quis nostrum, putas, calumniator erit? Et vt videas te nihil videre, sed vt oculis penè, ita mente etiam propemodum captum, ecce: ego Patrum neminem, ne vnum quidem, non ex quoquam illorum syllabam citavi: quomodo ergo imperitè aut calumniosè citavi? Vides quanto cum iudicio scribas? quæso te, aperi porrò oculos, & attēde tuę scriptioni, ne toties impingas. Hoc quidem dixi, vestrum illum nouitium pro more suo magna temeritate asserere: Christum cælo captum, & in eius rei patrocinium Nazianzenum vocare. Quòd si ille vel imperitè, vt solet, vel calumniosè citauit Nazianzenum, id ad me non attinet. Certè nec primus nec solus Sacramentariorum id fecit, sicut in Refutatione Orthotoxici consensus vestri ad oculum demonstrauimus. Sed audiamus bellum, belli huius Sacramentarij, conciliatorem. Christus captus est, id est, non captus, sed liber est, Vel sic: Christus cælo captus est, id est, non cælo captus, sed exceptus est, & liberè, intra & extra cælum, & quocunq; vult, progreditur. Multum profectò interest, si autor ineptus benignum fortiatur interpretem: & gratulor tuo nouitio, sicut & cæteris, istam fortunam, quòd Cretensis in Cretensem inciderit.

Sed si hæc est tùm vestra, tùm Nazianzeni sententia, quibus cum pugnatis? aut cui hic opponitur? quasi verò vnam quisquam nostrum negasset Christum cælo exceptum: certè purgatorio, mi Zanchi, exceptus non fuit. Ita vides, quàm procul à scopo, ineptè iaculando, aberres.

Deinde si hæc est tui nouitij opinio, quare ille ex contextu addidit: vsq; ad tempora restitutionis omnium.  
 Num quia iam dudum tempus illud restitutionis præterijt, nam iam dudum cælum egressus Christus in aërem descendit,

descendit, vt Paulo appareret? An verò, quia post tempus restitutionis non amplius liberè quocunq; velit, progreditur? Agnoscis ne Zanchi, quàm mendacium veritatis lucem ferre non possit?

Præterea, si hæc est illius nouitij opinio, quomodo cum Tigurinis suis ipsi conueniet, Zuinglio præsertim, qui captum esse interpretatur, ligatum esse, & ita quidem ligatum, vt alibi esse ante extremum diem non possit? Sic dum alteri medicinam adhibere conaris, alterum planè occidis.

Veniamus etiam ad Cinglij seu pupas, seu pappas, qui scripsit: Christi corpus sic dexteræ Dei, certo scilicet loco, alligari, vt alibi esse ante extremum diem non possit. Et ita ibi sedere Christi carnem tanquam in loco certo, vt inde moueri non possit, donec redeat cum vniuerso mundo rationem positura. Ad ista respondet Zanchius, me illud nimis Papisticè interpretari, alligatum, quasi catenis aut funibus alligari, cum autor ille, ad solum Dei decretum in sacris literis reuelatum respexerit. Respondeo: Equidem Papistica illa & puerilia esse, quod dicis, assentior: ideoq; miramur, vos in tantis mysterijs puerilibus his cogitationibus tantùm indulgere. Deinde quare non ostendis ex sacris literis illud decretum Dei, de quo dicis? Fatemur enim libenter, nos eorum hæctenus nihil legisse: sed fortè capti fuerunt oculi tui, & ligatæ manus, vt id non potueris.

Præterea dixisses nobis, si per decretum Dei alligatum est corpus Christi dexteræ Dei, ille autem pro libitu cælum egreditur, an non id contra decretum patris fiat: aut quis Apostolorum ei veniam impetret? Inprimis verò illud, quomodo conciliare velis tuam interpretationem cum Cinglij verbis, quibus expressè affirmat: Nusquam, nusquam, Zanchi, corpus Christi, nusquam esse potest, nisi in cælo ad dexteram Dei. Hic vero tu pisce magis mutantus es.



Cùm autem quilibet verborum ſuorum optimus interpres ſit, & Cinglius ſeiſum perſpicuè explicet, iniquum erit, nos Zanchij interpretationi ſubſcribere, contra mentem & ſententiam autoris.

Ad alterum Cinglij dictum reſpondet ex imis fundamentis Sacramentarijs. Quod de motu ſcribis (inquit) te verè immobilem eſſe in propoſito omnia peruerſè interpretandi, declarat. Ecce quàm breuiter ſe expediat, tãtum intereſt eſſe doctiſſimum Philoſophum, qualis Zanchius. Et addit: Idq; de voce (reddenda) quoq; dictũ volo: Oppoſueram enim ei dictũ Exegetici: Humanam Chriſti naturam ante nouiſſimum diem non reddendam. Ego verò, mi Zanchi, conuitium tuum tibi potiùs reddendum puto. Et an ſic quidem reſpondiſſe, an verò à pertinacia in errore immobilem te eſſe potiùs, lector dicere velit, ipſius iudicio relinquo.

Reſtat Oecolampadij dictũ, qui ſcripſit Chriſtũ ſuo corpore tantũ eſſe in cœlo. Reſpondet Zanchius: Ordinariè tantũ eſſe in cœlo, ſed illud non tollit, quin etiã aliquandò extra ordinem, ſi velit, extra cœlum eſſe poſſit. Sic & huic patellę, Zanchij indiſtriã, inuentum eſt operculũ. Sed audi etiã me, mi Zanchi. Primò ſi ita eſt, quare ego ſtupiditatem Oecolampadij luam, qui, vt indoctus fuit ſcilicet collatus cum Zanchio, non vidit iſtam acutam diſtinctionem, aut ſi vidit, quæ inſcitia eius fuit, ſi Zanchio credimꝰ, ambigua neſciuit diſtinguere, vt quæ vellet, etiã diſtinctionè proferret, niſi nunc manu duceretur à doctiſſimo Zanchio. Deinde vnde quæſo venis, cum hac diſtinctione, ex Caci ſpecu aut antro Trophonij? Petimus itaq; iure, vt doctiſſimus Zanchius hanc diſtinctionem ſuã ex Scriptura demonſtret, aut ſi id non poſſit, ſaltem ex Vetuſtate, aut ſi ne id quidem duntaxat ex colluuię Scholaſticorũ, quibus tanta eſt diſtinctionum ſentina, vt eam vel ipſe Zanchius nunquam poſſit exhaurire. Id ſi non poterit, reddemus ei diſtinctionem, vt pote à veritate longiùs diſtinctam, quàm ſit

fit supremum cœlū à terra. Si verò etiam probaueris, tùm demum docebis nos, cùm non omnia, quæ geruntur extra ordinem, probari possint, an non reprehensionem incurrat Christus, si extra ordinem cœlum egredi attentat, aut, sit ne, qui ipsum longiùs euagantem, rursus cogat in ordinem. Videsne quàm sint hæc puerilia?

II.

Gratulatus sum Sacramentarijs profectū, quo subinde mitiores erga captiuum Christum fiant. Primò enim captū & ligatum eum certo cœli loco, vsq; ad diem nouissimum, voluerunt. Deinde spaciari interdum hinc inde illi, singulari clemētia à Sacramentarijs quibusdam permissum est. Nunc verò intra & extra cœlū, quocunq; velit, liberè progredi ei licet. Quamuis ignorem priuatane vnus tantum Zanchij autoritate, an verò nouo aliquo Sacramentariæ cuiusdam Synodi decreto istud factū sit. Dupliciter ergo respondet. I. Rogo te (inquit) Holdere, obserua tuam constantiam. Oppugnasti antea, quod dixi, Christum suo corpore in aërem descendere, nunc idem probas, & proficere nos ais. Respondeo: O eximium Philosophum, qui ineruditè ludit fallaciã accentus. Perinde enim argumentatur, ac si dicas: Christus ait discipulis: vigilate & orate. Et paulò pòst ait: dormite nunc & requiescite. Ergo inconstans est. O puerilia crepitacula, ô pupas Sacramentarias. Et esto, probârim, id tamen non simpliciter sed respectu reliquorum factum est. Quemadmodum enim magis probò eum, qui spaciari sinit Christum, quam qui ligatum vult, ita qui liberè progredi ei permittit, quocunq; velit, probò magis, quàm illorum vtrumq; nec tamen simpliciter. Rursus igitur apparet, illum à præceptore non esse rectè in Dialecticis institutum, vt qui ludat fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nulla igitur hic mea sed vestra inconstantia apparet, qui modò ligatum, modò spaciantem, & paulò pòst liberum Christū tanquam in theatrum vestrum introducitis.

Fol. 16.



Bol. 16. f. 4. 2.

Secunda reſponſione narrat nobis factum Pontificis Bonifacij octauæ, (cuius tamen nomen ille ignorat) qui ſparſo cinere in faciem Archiepiſcopo Genuenſi (Cardinali ait Zanchius) dixerat: Gibelinus es, & cum Gibelinis moriêris: Ita mihi dicendum, ſcurra es & cum ſcurris moriêris. Reſpondeo: Quæ eſt hæc noua ratio ſoluendi argumenta, aut quæ eſt neceſſitas huius conſequentiæ? Niſi fortè putet Zanchius, ſe quoq; huius anni Pontificem eſſe & vaticinari. Sed cum illud ſibi in me ſumeret, quare non cogitabat, me poſſe, ſiquidem velim, vices reddere? Quòd enim cum Pontifice ſe comparat, poſſem ego quærere, quis ipſum Pontificem conſtituerit, an ille idem, qui Sylueſtrem ſecundû: aut pro benedictione eius Apoſtolica Apoſtolicas gratias ex Actorum cap. 23. dicere, aut duntaxat Græcorum benedictionem ad Papam Ioannem eius nominis 23. reponere. Sed quid ad controuerſiæ huius explicationem iſtud fecerit? Certè tantum abeſt, vt ipſius exemplo, qui ſic diſceſſum ſuum ex hoc mundo meditatur, mala imprecer, vt etiam Dominum orem, ne, poſtquam ſe Bonifacio octauo contulit, ſimilem etiam vitæ exitum cum eo habeat, de quo dici ſolet: Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus eſt vt canis. Hoc, inquam, orabo, vt blaſphemare, veritatem oppugnare, conſcientiæ contradicere deſinat, ne vel vt canis moriatur, vel vt aſinus ſepeliatur. Imò mihi quoq; gratulor. Etenim ſi ſolidum aliquod reſponſum potuiſſet opponere, conuitijs eiufmodi nunquam uſus fuiſſet.

## III.

**A**rgumentatus ſum ex tua illa hypotheſi contra te ab abſurdo. 1. Si deſcendat vsq; in aërem, & ſi velit, etiã in terram vsq; cum per diſtantiã loci non poſſit eodem die in vltimum cælum reuerti, cum ſenſum & motu phyſico ex veſtra hypotheſi progrediatur, vbinam putas ei pernoctandum? 2. Si cælum ſit locus beatitudinis, & Christus

Christus cœlum egreditur, descendens in aërem, & ad terram etiam vsq; , annon sit extra beatitudinem, & miser, donec reuertatur in illum suum locum? 3. Si cœlum egreditur, cui interea gubernacula & vices suas commendet, Theseône an Arietidi, Camillo vel Socrati? Hic ostendendum erat Zanchio alterutrum, aut nihil penitus absurdi isthæc habere, aut absurda quidem esse, sed ex suis hypothesebus non consequi. Atcùm neutrum horum possit, mōre Sacramentario, rursus ad conuicia delabatur. Scurrilia (ait rursus) sunt illa. Et iterum: Libenter tua nuda sine omni mea refutatione, sunt enim indigna, proposui. Respondeo: Vix ipsa Minerua, quamuis ex Iouis cerebro nata commodius responsum suggessisset. Nam profectò rem ipsam dixisti. Sunt enim illa verè scurrilia, imò, vt amplius etiam dicam, impia sunt & blasphema, & non solum refutatione, sed pijs etiam auribus indigna. Atq; non meum figmentum sunt, sed quæ necessaria consequentia ex tuo præsupposito sequuntur. Quòd si igitur cōsequens scurrile est, antecedens vestrum quale erit? Regula certè bonæ consequentiæ est: Propter quod vnumquodq; tale, illud magis tale. Si igitur isthæc adeò absurda sunt & scurrilia ex tuo præsupposito, ipsum præsuppositū quàm scurrile erit?

### Conclusio.

VENIO ad epilogum libri tui, qui vt à conuitijs cœpit, ita etiam in ea definit, ne tibi scilicet dissimilis viderè. Scribis enim, te nihil vnquam legisse ineptius, putidius, impudentius. Respondeo: Video ergo te tuam responsonem non relegisse. Sed ad rem. Prodrumi mei epilogus ad piū lectorem scriptus est, non ad impium gregem Sacramentariorum, quid igitur ille ad te attinet? Placet tamè mihi supra quàm credas, quòd intelligam, tibi illum displicere. Etenim si adhuc Sacramentarijs placerem, quomodo seruus Christi essem?

pag. 20. f. 4. 2.

I. A conuitijs



- Ibid.* A conuitijs redit ad iocos, & inquit: Licetne mihi aliquid diuinare? Respondeo: Licet fanè, ſed tuo periculo. Quo loco enim diuinos ſacra ſcriptura habeat, forte non ignoras. Admonitum tamen te velim, ſi diuinare velis, illud Zachariæ memineris: Diuini viderunt mendacium & ſomniatores locuti ſunt fruſtrà. Audiamus ergo
- Zach. 10.*
- Ibid.* „ Zanchium diuinantem. Vos, inquit ille, videmini mihi „ ad hanc prouinciam precio conducti, vt vndiquaq; capte- „ tis occaſionem Calvinianos paſſim apud populum tra- „ ducendi, tanquam omnium, qui à condito orbe fuerint „ hæretici (hæreticorum dicere debuiſſet, niſi etiam Prifcia- „ no bellum indixiſſet) peſſimos & intolerabiliſſimos. Re- „ ſpondeo: Nunc ſcio, Zanchi, quòd non fit ſimilis tui in „ arte augurandi. Nam in hoc ipſam non à Pontifice Roma- „ no, ſed ab Illuſtriſſimo noſtro Principe vocati, & liberali- „ bus ſtipendijs conducti ſumus, vt veritatem doctrinæ cœ- „ leſtis traderemus auditoribus, & phanaticarū opinionū „ in primis Sacramentarij dogmatis impietatem, tum ſcri- „ ptis, tum concionibus detegeremus. Sed ad rem. Video „ tibi accidiſſe, quòd Syracides ſcribit: Cor tuum ſicut par- „ turientis phantafias patitur. Et quòd prædixeram, id „ evenit: diuinus vidit mendacium. Certè cum iſta ſcribe- „ res, ſiue crederes ita habere, ſiue ſuſpicareris tantum, ho- „ mo malitioſus fueris. Sic enim Auguſtinus inquit: Si ſu- „ ſpicioſus in vitio eſt, eò, quòd non comperta (ſicut Zan- „ chius de ſe fatetur) ſuſpicatur, quantò magis credulas, „ qui hoc à ſuſpicioſo differt, quòd ille incognitis aliquam, „ iſte nullam tribuit dubitationem? Et ita tibi accidit, quòd „ in Michea ſcriptum eſt: Confundentur diuini, & operient „ vultus ſuos.
- Syr. cap. 34.*
- De Vul. cre- den. ad Honor.* „ Quod verò addis, vidiffe quendam nonnullorum Ger- „ mania Theologorum & Paſtorū nomina, quibus annuæ „ penſiones ex Archiepiscopatu Metenſi aſſignatæ eſſent, „ & hinc nos in ſuſpicionem adducere conaris, quaſi auro „ Gallico, clanculū conducti eſſemus, perſpicuè reſpondeo: „ Si Zanchius quenquam ex noſtris auro Gallico corruptū „ nouit,

nouit, & tamē dissimulatione sua, contra conscientiaē re-  
 stimonium etiam cæteros innocentes suspicione aliqua  
 pijs inuisos reddere conatur, virum bonū nequaquam ef-  
 se. Si verò neminem norit, sed ex sese ceu araneus quispi-  
 am ista confinxit, non iam Balaamum tantum, (quod ille *Ibid.*  
 de nobis scripserat) sed Diabolū ipsum, mendacij patrem,  
 non solum consanguinitate aliqua (quod ille nobis tribu-  
 it) sed primo gradu attingit: Et iam nō Marcionis nepos,  
 sed, quod de Marcione scripsit Polycarpus, Diaboli primo-  
 genitus est; cū hic mendax & mendacij pater sit, atq; ex *Ioan. 8.*  
 ipso prognati meritò dicantur, quotquot mentiendi fal-  
 lendiq; libidine, vt Augustinus loquitur, delectantur. *Contra Consent.*

Cū agnosceret Zanchius, se conuitijs potius quàm ar-  
 gumentis mea oppugnasse, quasi pœnitentia ductus in-  
 quit: Omnis offensionis, quæ vetatur lege Dei, me pœni-  
 tet. Respondeo: Vtinam ex animo ista dixeris, sed menti-  
 tus es Spiritui sancto. Dic enim cū ista scriberes, an non  
 adhuc in potestate tua erat illa vel emollire, vel emendare,  
 vel etiam prorsus inducere? Si itaq; qui discessum tuum  
 ex hoc mundo te meditari dicis, saltem Anania & Saphi-  
 ra vitæ exitum tecum cogitasses, ab ista hypocrisis abstinu-  
 isses. Sed putas te, vti hominibus, ita etiam Deo impunè  
 illudere posse, prorsus immemor eius, quod Apostolus  
 scripsit: Deus non irredetur. *Gal. 6.*

Tandem Neostadium me inuitat, vt illic causa hæc in-  
 ter nos transigatur, & addit: Ego te humanius excipi-  
 am, quàm ego istic olim fuerim: cū eò tamen, vt cum  
 doctis viris quædam communicarem, media hyeme ve-  
 nerim, ibiq; in hospitio per triduum manserim: ad quod  
 nemo vnquam neq; inuitatus, neq; inuitaturus accessit.  
 Respondeo: Quod Neostadium me inuitas, tibi otium est,  
 vt qui rude donatus es, mihi per occupationes non licet:  
 & vt liceret, cū hæreticum me dixeris, & quæ vestra sit in  
 hæreticos humanitas mihi non sit ignotum, pro vestra  
 illa humanitate vobis gratias ago. Præterea cū hæc  
 I 2 causa



cauſa neq; mea neq; tua priuata ſit, ſed publica, certè inter priuatos parietes tranſigi non poteſt.

De inhumanitate noſtrorum Theologorum quod ſcribis, mirum non eſſet, ſi maximè verum eſſet. Quarebas enim teſtimonium & confirmationem tuarum Theſium, quorum tanta erat impietas, vt eas nemo ſine vulnere conſcientiæ approbare poſſet. Quid itaq; contra officium ab ijs factum fuiſſet, ſi neq; in domum ſuam te recepſſent, neq; etiam, Aue, tibi dixiſſent, ne communicare viderentur operibus tuis malignis? Sed iurène an iniuria quiritis, ex D. Brentij epiltola hoc ipſo tempore, de hac ipſa re ad Ioannem Sturmium ſcripta liquidum fiet.

*Epiltola D. Brentij, ex Zanchij*

*Miſcellaneæ.*

Qvod tuis literis ad me petiſti, audiui clariffimū virum D. Zanchium. Eſſi autem cupiebat mihi non tantum hiftoriam rei, verum etiam vniuerſam diſputationem commemorare: tamen quia abſente & nondum audita altera parte, (ſcis enim illud *ante dixiſſe*) non ſumo mihi de hac controuerſia iudicium & cognitionem. Non potui ei, præſertim aliò vocantibus negotijs, hac in re omnino gratificari. Præſtiti quod in præſentia & in huius cauſæ ambiguitate potui. Quædam vtiliter dicit, ſi æquum habuerint interpretem: quædam probare nondum poſſum. Et tamen exiſtimo, rem non ſic deploratam, vt conſilio bonorum virorum, quos veſtra reſpub. inſignes habet, non poſſit componi. Quod igitur vnum licet, oro Deum, vt oſtendat vobis rationem, qua iſtud diſidium, nec ſcholæ nec vobis vtile, tollatur. Bene ac feliciter vale. Studgardiz die 13. Decemb.

Ioann. Brentius.

Ex his lector candide maior ne noſtrorum Theologorum inhumanitas aut Zanchij vanitas ſit, facile perſpicias.

Etde

Et de his quidem hæcenus, vt Zanchium tanto metu liberarem. Quòd si forte vel Zanchius vel etiam alius quispiam existimet, ætatis mihi rationem habendam fuisse: is Apologiam Augustini atq; Chryostomi pro me legat, quam vel ideo subijciam, vt Zanchius in ea tanquam in speculo seipsum contempletur, & memoria repetat vetustum illud; Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet.

*Augustinus.*

**P**lus omnibus religioni operam dare senibus conuenit, quos præsentis seculi florida ætas transacta deseruit. Sicut namq; in lignis ipsa reprobæ arbor comparet, quæ post flores, fructus optimos cultori suo non exhibet: sic & in hominibus ipse reprobus est, quem flos iuuentutis deseruit, & tamen in sui corporis senectute, bonorum operum maturos fructus proferre paruipendit. Quid enim stolidius potest fieri, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quâdo totius corporis habitus senectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures grauius audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapsi numero minuuntur, cutis arefcit, flatus non suauiter olet, pectus suffocatur, tussis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat, etiam homo interior, qui non senescit, his omnibus aggrauatur. Et hæc omnia ruituram iam iamq; demum corporis citò prænunciant. Quid ergo superest, nisi vt dum huius vitæ defectus appropiat, nihil aliud cogitare, quàm quomodo futura vitæ aditus properè comprehendatur, quisq; senex appetat? Iuuenibus enim incertus huius vitæ terminus instat, senibus verò cunctis maturior ex hac vitæ exitus breuiter concordat. Cauendæ ergo sunt homini duæ particule, quæ & in illius carne non veterascunt, & totum hominem secum ad peccandum pertrahunt, cor videlicet & lingua: quia cor nouas semper cogitationes machinari non desinit: lingua impigrè loquitur, quodcumq; cor



machinari senserit. Caueat ergo senilis ætas, ne ista iuuenescentes particulæ totam sui harmoniam decipiant, & per res ineptas reliquam corporis grauitatem illudant. Vnicuiq; namq; considerandum est, quid ætate eminenti dignum sit, vt hoc agat, quod nec vitam nec ætatem, nec ministerium vile reddat.

*Chrysostomus.*


**V**erè confusio est & irrisio, vt canitie quidem ornentur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habeant puerilem. Et siquidem iniuriat illum iuuenis, statim canos in medium proferet dicens: vel canis istis exhibe reuerentiam: si verò tu eis non exhibes reuerentiam iam senex, quomodo iuuenem tuos canos reuereri desideras? Non reuereris, inquis, hos canos, sed tu eos confundis. Deus te honorauit, candorem capillis dedit. Primatum habere confessus quid prodest? Illum honorem quomodo reueratur iuuenis, cùm te viderit amplius lasciuia deditum. Canicies quippe tunc est venerabilis, quando ea gerit, quæ caniciem decent: cùm verò iuueniliter conuersatur, plus iuuenibus ridiculosus erit. Quomodo poteritis nos iuuenes admonere, dum vos senes inebriamini per incontinentiam vestram? Non enim nunc irridens seniores hæc dico, sed iuuenes magis irrideo. Qui enim hæc agitis, etsi ad centesimum veniatis annum, mihi iuuenes videmini, & similes pueris. Iuuenes enim etsi modicam disciplinam accipiant, & corrigantur, senioribus meliores sunt. Et non iste sermo meus, sed & Scriptura hanc nouit discretionem. Senectus enim, inquit, honorabilis, non multi temporis: & ætas senectutis, vita immaculata. Etenim nos honoramus, non quia colorem candidum habet, ideo ab nigro colore amplius honoramus: sed quia indicium est vitæ in virtute prouectæ, & videntes ex hoc conijcimus interiorem senectutem: si verò contraria senectuti gesserint, irrisibiles sunt propter hoc potius. Nam & regem honoramus

ramus & eius purpuram & diadema, quoniam ista signa sunt principatus: si verò viderimus, illum cum purpura conspui, ab armigeris suis conculcari, præfocari, in custodiam mitti, dissipari, nunquid reueremur tunc purpuram aut diadema? Nonne & ipsum Schema plorabimus? Noli ergo propter canos velle honorari, quando ipse illos iniurias: nam & ipsi vlisci se debent, quoniam schema splendidum & honorabile confundis. Hastenus illi.

Cùm itaq; Zanchius neq; senectutis suæ neq; inuentutis meæ, vt ait, rationem sibi habendam putauit, non ferat iniquo animo, si & ego alicubi annorum eius oblitus esse videor.

Quod restat, parce Zanchi, posthac labori tuo. Nam & ego conuitia vestra atq; calumnias solo contemptu vlisci constitui.

FINIS.





*ad Hieronymi Zanchij committia*

d

*(mirrored text bleed-through from the reverse side of the page)*

FINIS

